Edw. J. Conway

American College

Rome

Italy

Edw. J. [illegible]

American College

Rome

2d [illegible]

INSTITUTIONES

JURIS CANONICI

QUAS IN SCHOLIS

PONT. SEM. ROM. ET COLL. URBANI

TRADIDIT

Clarissimus professor DE CAMILLIS

TOMUS SECUNDUS

Logica Institutionum
De personis.

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM
Via vulgo dicta Delambre, 9

1868

INSTITUTIONES JURIS CANONICI.

SECTIO II.

DE STATU ECCLESIÆ IN ORDINE AD RES.

I. Res, in quantum personis opponuntur in jure, *sunt media quibus humana societas ordinatur in finem.* Atqui finis, in quem spontaneo quidem sed necessario naturæ instinctu ferimur, felicitas nostra est. Quare res generatim dici possunt media omnia quæ ad nostram consequendam felicitatem ordinantur.

At hæc felicitas diverso modo apprehenditur in jure civili ac in jure canonico. Cum enim finis in quem directe tendit civile consortium, felicitas hujus temporis sit, contra vero felicitas in quam tendit Ecclesia, æterna beatitudo sit, inde fit ut rerum *civilium* notione intelligamus *media quæ ad temporalem hujus mundi felicitatem*, notione vero rerum *ecclesiasticarum*, *media quæ ad æternam felicitatem* consequendam ordinantur.

Sub hac generali rerum acceptione, comprehenderetur in jure quidquid præter personas in republica adinvenitur; itaque res et personæ constituerent duo illa generalia solaque objecta circa quæ utrumque et universum jus versaretur. Verum tum civilis tum canonici juris consultis placuit distinguere media, quæ positive ordinant societatem in finem, a mediis quæ

se tenent ex parte negativa, quatenus nempe removent obstacula quæ finis assecutionem impediunt.

Media primi generis connaturalia conceptui cujuslibet societatis in specie dixerunt res; cetera, quæ tamen sunt necessaria consequenter et conditionate, inspecta nempe sociorum imperfectione, proprio nomine appellata e rerum catalogo expunxerunt.

Porro duo sunt obstacula quæ, in corrupta hominum natura, finis assecutionem impediunt : ignorantia et concupiscentia; illa, quæ se tenet ex parte intellectus, et dubii et erroris mater est; altera quæ se tenet ex parte voluntatis, et peccati et delicti est parens. Ut ergo societas hominum contra duplex obstaculum se præmuniret, media quædam instituit quæ utrumque, quantum fieri potest, tollerent : judicia ut dubia dissolverentur, damnarentur et errores; pœnas ut peccata punirentur, compescerenturque delicta. Quare factum est ut hæc duo media, quæ sub generali rerum significatione comprehenduntur, proprio tamen nomine distincta, e ceterarum rerum catologo expuncta sunt.

Solent tamen frequenter auctores institutionum juris, non in duas sed in quatuor partes distinguere, quarum una de personis, altera de rebus, tertia de judiciis, ultima de pœnis nuncuparetur. Verum, cum nos de pœnis, satis egimus cum locuti sumus de sanctione legum ecclesiasticarum, novam hanc tractationem generalem de rebus coercemus ad ea tantum media quæ positive Ecclesiam ordinant ad æternam felicitatem.

II. Jamvero horum mediorum non est omnium eadem proximitas ad finem. Nam alia sunt media quæ directe ad vitam *spiritualem* seu supernaturalem,

nempe ad vitam fidei et caritatis ordinantur, ac proinde proxime ultimo fini deserviunt. Alia vero sunt quæ directe ordinantur ad physicam, *materialem* seu *naturalem* Ecclesiæ vitam sustinendam, quæque in finem supernaturalem non ordinantur nisi remote et quatenus ipsa naturalis Ecclesiæ existentia et conservatio ad æternam refertur felicitatem, ac veluti suppositum constituit vitæ supernaturalis. Primi generis media, cum directe porrigantur ad vitam spiritualem, dici possunt *res spirituales*. Secundi generis media, quippe directe et immediate ad temporalem constitutionem ordinata, dici possunt *res temporales*.

Quare hæc secunda sectio de interno Ecclesiæ statu in ordine ac res distingui potest in duos titulos principales : primum de statu Ecclesiæ quoad res spirituales; alterum de statu Ecclesiæ quoad res temporales,

Cum vero quædam res sint quæ de utroque participent elemento, qualia sunt beneficia ecclesiastica — spiritualia, quatenus officia sunt sacra, temporalia vero, in quantum continent jus ali temporalium alimentorum, — de hujusmodi rebus quæ jure dici possunt mixtæ, singularem adjungemus appendicem.

TITULUS PRIMUS.

DE STATU ECCLESIÆ QUOAD RES SPIRITUALES.

I. Humani spiritus sanctificatio, quippe quæ tangit subjectum simplex et spirituale, nulla alia vi nulloque alio medio potest immediate operari, conservari, perfici nisi quadam vi occulta, invisibili, quæ valeat super animam nostram operari. Et quidem hoc medium,

uti fides docet, gratia Dei est, *quæ diffunditur in cordibus nostris*.... Nemo tamen inde credat nos sub hoc titulo rerum spiritualium acturos esse de invisibilibus gratiæ Dei donis, siquidem non invisibilem hic Ecclesiæ statum inquirimus. Non agimus de invisibili Dei commercio cum hominum spiritibus, sed externam ac visibilem Ecclesiæ œconomiam consideramus. Porro Christus media corporea et visibilia ad invisibiles gratiæ operationes producendas ordinavit. Ecclesia, hanc divinam institutionem imitata, et ipsa plura alia addidit corporea et visibilia — quæ ad humani spiritus sanctificationem ordinavit. Unde sub hoc titulo comprehendimus omnia media corporea visibiliaque ad vitam spiritualem ordinata. Ad duplex autem genus revocari possunt : alia enim media vitam spiritualem operantur, producunt, atque infundunt; alia vero eam exercent. Quare hic primus titulus duplicem amplectitur dissertationem, quarum prior erit de rebus quæ ad vitam spiritualem producendam ordinantur. Posterior de iis quæ pro vitæ christianæ exercitio proponuntur.

DISSERTATIO PRIMA.

DE REBUS QUÆ AD VITAM SPIRITUALEM PRODUCENDAM ORDINANTUR.

II. Christus Dominus reversurus ad Patrem, hoc relinquebat mandatum apostolis suis, quos ministros ad salutem gentium procurandam ordinaverat : « *Euntes prædicate evangelium omni creaturæ ; qui crediderit et baptizatus fuerit, hic salvus erit ; qui vero non crediderit, condemnabitur.* » Marc, XVI, 15. Unde colligimus duplicis generis media ad salutem hominum

procurandam instituta fuisse : prædicationem evangelii, cui responderet fides audientium (*prædicate, qui crediderit*) ; sacramentorum ministerium, cui respondet eorumdem susceptio (*qui baptizatus fuerit*). Quare hanc dissertationem de rebus spiritualibus ordinatis ad vitam supernaturalem præsertim operandam in duo capita dividimus : primum de prædicatione verbi Dei, secundum de sacramentis,

CAPUT PRIMUM.

DE PRÆDICATIONE VERBI DIVINI.

Primo dicendum erit de ipsius rei natura ; postremo de ejusdem relatione cum interna Ecclesiæ œconomia.

§ I. DE IPSIUS PRÆDICATIONIS NATURA.

I. Prædicatio, in quantum est oratio et publica revelatæ veritatis annuntiatio, de Christi institutione est sine dubio. Quod satis apparet tum ex præfato textu Marci, tum ex parallelo Matthæi (XXVIII, 18) quum Christus, promissa potestate summa quæ ipsi a Patre collata fuerat, dicebat apostolis suis : *Euntes docete omnes gentes*, etc. Quibus ex locis constat quoddam visibile magisterium veritatis a Christo Domino fuisse institutum. Hoc autem prædicandi munus non ad unam ætatem restringendum, sed pro omnibus ætatibus fuisse institutum patet, tum ex eo quod ad prædicandum omni creaturæ, ad docendas omnes gentes dirigatur, tum ex aperta ejusdem Christi prophetia, quum aiebat : *et prædicabitur hoc evangelium*, etc. Propterea huic magisterio, tanquam medio ordinario a Domino electo, ad veritatem propagandam, infaillibilitas accessit. *Et ecce ego vobiscum* (*docentibus*)

sum, *usque ad consummationem seculi*. Est ergo prædicatio verbi Dei divinæ institutionis, et perpetua, singularisque ei assistentia promissa est ne erraret.

II. Hæc autem res conservata semper in catholica Ecclesia plures admisit species et modos disciplinares, juxta finem specialem cui directa est, vel secundum modum aut tempus quo perficitur.

Ratione *finis proximi*. Hic finis vel conversio est vel cultura specialis. Si est finis simplex hæc cultura, ut nempe audientes in via fidei et sanctitatis progrediantur, tunc dicitur *pia institutio*. Si vero finis proximus est conversio, tunc dicitur *missio*. Hæc autem potest esse vel propria vel impropria. Prioris finis est conversio audientium de infidelitate ad fidem; impropria est, cum finis sit conversio audientium a statu peccati ad statum gratiæ; quo sensu solent indici in diæcesibus catholici orbis *missiones*, quum morum christianorum reformatio desideratur.

Ratione *modi*, qui esse potest vel panegyricus vel catecheticus. *Panegyricus* si modo oratorio evolvantur laudes Christi et Sanctorum; *catecheticus*, si familiari sermone instituantur audientes in fide et moribus.

Ratione *temporis*. Aliud est tempus extraordinarium, aliud ordinarium quo prædicationes in Ecclesia fiunt : Unde prædicatio extraordinaria vel ordinaria. Tempus extraordinarium pro prædicatione est alicujus singularis festi recursus vel alicujus proximi periculi spiritualis vel temporalis occasio. Ordinarium tempus sunt festi dies ordinarii seu dominici, tempus sacri adventus et quadragesimæ. Unde hæ prædicationes audiunt vel explanationes evangelii, vel prædicationes quadragesimales, etc.

§ II. IN QUA RELATIONE SIT PRÆDICATIO IN ORDINE AD INTERNAM ECCLESIÆ ŒCONOMIAM.

III. Sub hoc respectu consideranda est prædicatio tum in ordine *ad finem* cui directa est Ecclesia, tum in ordine ad *personas* de Ecclesia.

Ad primum quod spectat, pro theoremate ponimus prædicationem referri ad finem relatione necessitatis. Quod ex apostolo colligitur (Rom., x, 14) « *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* » Unde si, ordinaria Domini œconomia, fides cum prædicatione verbi Dei adnectitur, fides autem necessaria sit ad salutem, sic et prædicatio eamdem induit necessitatem; unde videmus non esse prædicationem rem mere accidentalem in Ecclesia sed illi connaturalem et necessariam ac essentialem.

Quod vero ad relationem spectat quam habet cum personis, sit hoc principium generale. Prædicatio in Ecclesia actus est magisterii. Magisterium vero pars est connaturalis regiminis ecclesiastici in quantum ad dogmatis conservationem dirigitur. Unde quot sunt in Ecclesia pastores, tot magistri, tot prædicatores; pro gradu et quantitate secundum quam participant de auctoritate regendi, ita et de auctoritate prædicandi. Ex quo inferimus sequentia theoremata :

IV. 1. Romanus pontifex quippe cujus suprema potestas nullo loci ambitu continetur et in plenitudinem apostolicæ auctoritatis succedit, jus habet prædicandi, docendi in universo mundo, tum ut fratres suos confirmet, tum ut munus suum prosequatur in conversione gentium. Quod jus sive per se, sive per suos delegatos exercere valet, non secus ac jurisdictionem suam.

2. Episcopi aliique prælati ecclesiastici episcopali gaudentes auctoritate, eo ipso quod sunt illarum peculiarium ecclesiarum pastores ordinarii, habent ordinarium jus docendi prædicandique, tamen intra proprii territorii limites conclusum. Hoc jus et ipsi exercere possunt et debent vel per se vel per alias idoneas personas, prouti statuit concilium tridentinum, sess. IV, c. 1; sess. XXIV, c. 14.

3. Parochi, eo ipso quod in eos aliqua pars sollicitudinis pastoralis transfunditur, in ordine ad parochianos suos et ipsi jure gaudent ordinario annuntiandi illis verbum Dei.

4. Ceteri clerici omnes, quippe ex sola ordinatione sacra nullam sortiuntur jurisdictionem in Ecclesia, sic per se nullo jure prædicandi gaudent. Sed necesse est ut illis ab episcopo delegetur, non secus ac ipsa jurisdictio. Quare statutum est ut clericus secularis non possit prædicare sine episcopi licentia; regularis vero, si in Ecclesia sui ordinis, accipiat licentiam a suo prælato; si alia in Ecclesia tum a prælato suo tum ab episcopo licentiam accipiat, pro duplici statu subjectionis in quam cadit.

5. Laicus, quippe pro suo statu subditus est in Ecclesia, nec ad docendum gubernandumve ordinatus, a verbo Dei annuntiando ordinarie excluditur omnino.

CAPUT II.

DE SACRAMENTIS.

1. Sacramenta, in generalissima acceptione, nihil aliud sunt nisi quidam ritus symbolici seu quædam visibiles et exteriores operationes quæ ad invisibilem et arcanam actionem seu efficientiam significandam

ordinantur. Hæc autem interna et arcana operatio, ad quam sacramenta ordinario referuntur in Ecclesia, humani est spiritus sanctificatio. Unde dici consuevit sacramentum invisibilis gratiæ visibile signum internæ et invisibilis sanctificationis nostræ.

Sed horum signorum, horum rituum, quibus abundat cæremonialis Ecclesiæ disciplina, non unus est omnium auctor, non una omnium vis, activitas et efficacia. Namque alios credit Ecclesia Christum ipsum auctorem habuisse, alios vero ecclesiasticam habuisse institutionem ; illos ad efficientiam gratiæ et sanctificationis nostræ sic ordinari, ut vi sibi indita valeant eam producere ; hos vero tantum valere posse pro fide et pietate Ecclesiæ quæ ritus eosdem instituit et frequentat, et pro utentium pietate et devotione. Quare ut una species sacramentorum ab alia distingueretur, invaluit tempore scholasticorum ut primis illis relinqueretur nomen sacramentorum ; hæc vero, per analogiam quam ad sacramenta servant, dicerentur sacramentalia. Genus igitur sacramentorum distinguitur in *sacramenta* antonomastice, stricto et speciali sensu sumpta, quæ Christum habent auctorem, et vi sibi indita valent hominum sanctificationem operari, et in *sacramentalia* quæ Ecclesiam habent institutricem et, solum pro fide Ecclesiæ instituentis et pro pietate utentium, effectum gratiæ et sanctificationis valent impetrare. Propterea hoc caput in tres dividimus articulos, priores de sacramentis tum in genere tum in specie, tertium de sacramentalibus, qui constituet veluti appendicem ad generalem tractationem de sacramentis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Sacramentis in genere.

§ I. DE ORIGINE ET NATURA SACRAMENTORUM.

I. *Origo.* Placuit Christo Domino sic visibilia ad invisibilia ordinare ut visibilia non tantum invisibilium mysteriorum essent externæ significationes externaque indicia, sed etiam ad internas quasdam operationes pro hominum sanctificatione producendas ordinarentur. Hoc fecit assumendo quosdam ritus, quasdam praxes seu externas actiones, corporeas et visibiles, quæ de se non nisi externis et visibilibus rebus significandis fuissent idoneæ, easque sublevando ad hoc ut supernaturalis gratiæ distributionem significarent eamque pro modo suæ significationis producerent. Septem autem fuerunt hujusmodi ritus qui constanti traditione tum in latina tum in græca Ecclesia retenti sunt.

II. Horum rituum *natura* (quippe in relatione consistit quam dicit terminus visibilis ad terminum invisibilem) ut determinetur, oportet ut statuetur quænam sit natura termini visibilis, natura termini invisibilis, demum natura relationis inter utrumque.

1° Natura termini *visibilis* sacramentorum resultat ex applicatione nonnullorum verborum cuidam rei. Unde aiebat Augustinus : accedit verbum ad elementum et fit sacramentum. Hæc res, quia indeterminata est per se sumpta in genere significationis, a scholasticis, ducta analogia ex iis quæ tradebat peripatetica philosophia quoad naturam physici compositi, vocata est *materies.* Verba autem, quæ determinant rem seu materiam in genere signi, vocaverunt *formam*, quippe forma, juxta eamdem philosophiam, dat esse rei.

Unde invaluit isthæc terminologia, quæ recepta est a duobus conciliis, florentino et tridentino ; secundum eas synodos signum visibile sacramentorum resultat ex re et verbis : re quidem tanquam materie, verbis tanquam forma.

2° Duplex autem est terminus *invisibilis* sacramentorum : *gratia* et *character*, gratia quidem terminus omnium sacramentorum proprius, character proprius nonnullorum. Gratia autem quæ per sacramenta producitur, bifariam distinguitur, sanctificans et sacramentalis ; sacramentalis quæ auxilia dat ad ea præstanda quæ sunt propria singulorum sacramentorum, sanctificans vero quæ interius hominum animam sanctificat. Hæc autem sanctificatio dupliciter sumitur vel tanquam transitus e statu peccati ad statum gratiæ et justitiæ, vel tanquam transitus a minori ad majorem sanctificationem. Unde dicitur gratia *prima* quæ de injusto justum facit, gratia vero *secunda* quæ sanctum et justum sanctificat et justificat ad huc. Gratia prima est terminus duorum sacramentorum, baptismi et pœnitentiæ, quæ propterea sacramenta mortuorum dicuntur. Gratia secunda diverso modo a ceteris sacramentis producitur.

Character est signum quoddam in anima impressum, saltem per totam hanc vitam indelebile, quod hominem collocat in aliquo permanenti gradu in Ecclesia. Tria sunt sacramenta quæ ad hunc effectum producendum ordinantur, baptimus quo ex infideli christianus quis efficitur, confirmatio qua christianus fit perfectus, ordo quo magistratus constituuntur. Hæc tria sacramenta, quippe ad esse permanens porriguntur, iterari non possunt.

3° Natura *relationis* inter terminum visibilem et in-

visibilem est illa quæ intercedit causam inter secundariam et instrumentalem sed efficientem, in ordine ad effectum suum. Unde fit quod, ubi signum visibile sacramenti, servatis essentialibus, rite positum fuerit, nec aliquid obstet ex parte suscipientis, effectus ille invisibilis necessario sequatur. Propterea credit Ecclesia harum rerum, quæ divinæ vere et proprie dici possunt, sibi concessum fuisse ministerium, non autem substantiam. Plura igitur potest decernere et reapse decrevit vel decreta modificavit circa illorum rectam administrationem, ne sacramentum detur canibus, nullam sibi vero inesse facultatem qua harum rerum efficientiam valeat impedire, irritare vel retardare.

§ II. DE STATU QUEM HABENT SACRAMENTA IN ÆCONOMIA ECCLESIASTICA.

III. Status juridicus sacramentorum, non secus ac ceterarum rerum, determinatur pro relatione quam res habent ad finem et personas aggregationis ecclesiasticæ.

Sacramenta in ordine *ad finem* possunt considerari vel quoad universam Ecclesiam vel quoad singulos Christianos.

1° Quoad universam Ecclesiam, illorum administratio et susceptio, generatim loquendo, res necessitatis est, nempe absolute et necessario servanda ab Ecclesia ut sui finis assequendi potis sit. Cum enim hæ res positivæ Dei institutionis sint, necessario servandæ sunt ut societas ecclesiastica ad suum finem ordinetur. Praxis igitur VII sacramentorum in Ecclesia habet ordinem necessitatis in finem propter quem Ecclesia a Christo instituta est.

2° Si vero sacramenta considerantur quoad singulos

christianos, alia sunt quæ habent ordinem necessitatis, alia vero quæ servant ordinem puræ contingentiæ erga finem. Habent ordinem puræ contingentiæ in ordine ad finis assecutionem, ea sacramenta quæ directius et principalius pro bono totius societatis ecclesiasticæ quam pro bono singulorum fuerunt a Christo instituta. Quare, generatim loquendo, individuum sine suo speciali damno ab iis potest abstinere. Sunt hæc sacramento duo, nempe ordo et matrimonium, quorum alter institutus est ut Ecclesia ex parte spirituali, alterum vero ex parte corporea et materiali propagaretur.

Quo fit ab Ecclesia neminem cogi ad alterutrum ex his sacramentis recipiendum; ab Ecclesia aliorum sacramentorum susceptionem foveri et urgeri, quoad hæc duo aliqua impedimenta apponi ne recipiantur, quum nempe decori sacramenti et bono societatis aliquod detrimentum posset imminere, si sacramentum ipsum susciperetur. Quæ impedimenta in causa ordinis sacri singulare nomen habent in jure : *irregularitates*. Canonica hæc impedimenta ordinum susceptionem aut exercitium prohibent. Impedimenta vero matrimonis apposita singulare nomen non habent in jure, sed distinguuntur in impedimenta impedientia et dirimentia, nempe quæ matrimonii contractum vel illicitum vel etiam irritum reddunt. Irregularitates vero, quippe quæ nec formam nec materiam sacramenti ordinis tangunt, in gradu impedimentorum simpliciter impedientium collocantur.

Cetera sacramenta habent etiam quoad singulos ordinem necessitatis in finem, sed non omnia eodem modo. Nam duo sunt sacramenta quæ intrinsecam dicunt necessitatem pro finis assecutione, ita ut præs-

cindendo etiam a præcepto positivo quo illorum susceptio injuncta fuerit prescindendo a culpa amissionis eorundem, intrinsece sunt necessaria ut homo finem suum assequatur. Duo hæc sacramenta supponunt hominem in statu peccati constitutum, ideoque deordinatum a finis ultimi assecutione, nec aliter quam per eorum susceptionem posse iterum in finem ordinari. Talia sunt baptismus et pœnitentia; primus intrinsece et absolute, pœnitentia vero intrinsece sed hypothetice necessaria sunt ut quis finem consequi possit.

Cetera sacramenta, quippe quæ ordinentur non ad primam gratiam, non ad restaurandum, *sed perficiendam* ordinem, nullam de se dicunt intrinsecam necessitatem pro finis assecutione. Sed cum Christus ea non proposuerit tanquam res supererogatorias, non tanquam de consilio, sed voluerit a Christianis recipi, ex hac positiva voluntate Christi, quamdam extrinsecam contrahunt necessitatem ad finis assecutionem, in quantum nempe homo in culpa fuerit qui eadem non reciperet, cum divinumm andatum transgressus fuerit.

Sacramenta igitur, considerata quoad universam Ecclesiam, habent ordinem necessitatis in finem. Quoad singulos, duo sunt quæ servant ordinem puræ contingentiæ cum finis assecutione; unde omnimoda competit libertas cuilibet Christiano ut ea recipiat nec ne; imo repelluntur hi qui non idonei sunt. Alia habent ordinem necessitatis in finem, sed duo de necessitate medii, ita ut inculpabilis horum sacramentorum carentia impediat quominus homo, ob peccata quæ supponuntur, finem consequatur. Cetera tria sunt de necessitate præcepti tantum, adeo ut finis assecutionem impediant quatenus homo culpabiliter ab eis abstinuerit.

IV. Alterum vero est considerationis caput, relatio nempe quam habent sacramenta *ad personas*.

Cum ritus sacramentalis supponat accessionem seu applicationem quorumdam verborum cuidam rei, seu formæ ad materiam, ritus ipsius necessitas importat personam quamdam quæ hujusmodi applicationem faciat, i. e., sacramenti *ministrum*. Excepta eucharistia, quæ consistit in re permanenti seu cujus confectio terminatur in materiæ consecrationem, cetera sacramenta consistunt in actu transeunti per quem ritus sacramentalis alicui personæ applicatur. Sacramenta igitur, generatim loquendo, non tantum requirunt ministrum, sed etiam in se includunt conceptum alterius personæ quæ ritum suscipit et patitur; hæc sacramenti est *subjectum*. Porro ministri sacramentorum, generatim loquendo, clerici sunt in quantum de potestate ordinis plus minusve participant. Subjectum vero sacramentorum sunt omnes Christiani; excepto baptismate, quod christianos suscipientes non supponit, sed facit.

De Sacramentis in specie.

CAPITUL. PRIMUM.

DE BAPTISMO.

I. Quousque homo in originali justitia et sanctitate permansit, eo usque vita spiritualis illi conservata est. Verum statim ac mandatum Dei transgressus est, eo ipso in mortem spiritualem impegit, quæ arcano quodam fidei nostræ mysterio in omnes homines quotquot ab ipso carnali generatione propagati sumus (excepto singularissimo B. M. V. privilegio) transgressa est.

Quoniam igitur per peccatum spiritualis hæc mors

inducta est, ab hominis justificatione debuit vita hominum spiritualis instaurari. Et quidem variis modis Deus intuitu meritorum Christi Redemptoris nostri gratiæ suæ thesauros in patres nostros diffudit ad hanc spiritualem animorum vitam instaurandam. Servabatur vero advenienti Christo ut medium aliquod generale et uniforme spiritualis regenerationis institueret, quod generali et uniformi hominum conceptioni per generationem carnalem inductam mederet.

Porro Christus qui ita volebat ad gratiam elevare naturam, ut naturæ accommodaretur gratia, hanc occasionem secutus est. Scitis homines, qui pro naturæ suæ limitatione solent corporeis imaginibus invisibiles et spirituales animæ conceptus depingere, sub tabis, immunditiæ, sordis, inquinamenti, pollationis imagine, et metaphora animæ peccata significare. Huic hominum capacitati morem gerens scriptura sacra cuidam emundationi, dealbationi, lavacro solet hominum justificationem compararare.

Ergo quoddam visibile lavacrum erat aptissimum per quod hæc interior ablutio, et munditia exprimeretur, significaretur, operaretur. Jam vero elementum a natura destinatum tanquam medium generale et uniforme ad corporeas immunditias extergendas et purificandas, est aqua. Ergo *aquæ lotio* aptissima visa est Christo, quæ generalem et uniformem hominum immunditiam purificaret.

Ad hujusmodi vero effectum aquæ lotio erat indifferens ex se, et incapax nisi ad id super naturali virtute elevaretur. Ad hoc igitur apposite *verborum formulam* determinavit, qua fieret ut visibilis corporis ablutio invisibilis et interioris animæ mundationis fieret indicium; et apostolis mandavit ut hujusmodi

ablutionem, et baptisma ministrarent; et ita uno eodemque actu, quos regenerarent in Christo, filios aggregarent sponsæ ejus quæ est Ecclesia, atque appositis regulis, et ceterorum sacramentorum participatione in accepta justitia conservarentur, perficerentur, et in viam salutis sub illius magisterio et gubernio ad æternam felicitatem conducerentur.

Ita in mentem revocata viris theologis baptismatis institutione, inutile profecto censeo de illius virtute et invisibilibus effectibus, de forma, ministro, et materia hujus sacramenti dogmatice inquirere : universam igitur hanc tractationem retringam ad ea pauca quæ de ecclesiastica disciplina prudenter statuta sunt ad licitam et decoram hujus sacramenti administrationem, quæquæ possunt ad hæc capita revocari :

1° ad ministrum et subjectum
2° ad tempus et locum
3° ad ceremonias et ritus.

N. B. — De catechumenatu res erit quum agetur de adultis ad baptistum offerendis; de patrinis, de benedictione aquæ, de immersione, infusione, aspersione quum agetur de ceremoniis.

§ I. DE MINISTRO ET SUBJECTO.

I. De ministro.

II. Primi Baptismatis ministri ab ipso Christo constituti sunt apostoli : non autem quatenus administratio baptismatis ad hoc ut sacramentum valeret, esset quid apostolici muneris proprium est singulare : Legimus enim Paulum profitentem se non ad baptizandum, sed ad prædicandum missum fuisse, et habemus in Actibus a diaconis etiam passim Baptisma fuisse collatum, (sed quatenus procedere debebat in

Ecclesiam adscriptio auctoritate illorum), qui hujus spiritualis familiæ et societatis patres et gubernatores essent. Unde ab antiquis temporibus receptum est unius Romani Pontificis auctoritate missiones ad gentes baptizandas institui, et unius episcopi auctoritate et concensu baptisma in singulis diœcesibus conferendum esse.

Et quidem hac in re distingui debet privata a solemni baptismatis administratione : In privata baptismatis administratione, quæ fit urgente necessitate, licite baptizat quicumque valide baptizat. Adest enim præsumptus non solum, sed explicitus Ecclesiæ consensus, ut nemini salutis via præcludatur. Solum statutum est ut quidam ordo servetur, ut difficiliori modo illi admittantur ad sacramenti administrationem, qui magis procul sunt a sacris officiis peragendis, et sacris ministeriis. Ita sacerdos præfertur diacono, diaconus subdiacono, subdiaconus minori clerico, clericus laïco, fideles infideli, orthodoxus heterodoxo, vir mulieri; dummodo haud pudor, haud pueritia, haud aliæ rationes secus opportunum esse non suadeant.

Extra casum necessitatis ad solemnem baptismatis collationem admittuntur tantum præter episcopum, præsbyteri et diaconi. At vero facilius admittebantur diaconi in prima Ecclesiæ fundatione, difficilius in Ecclesia fundata. Eadem vero ratio utriusque disciplinæ, videlicet ut diaconi subsidiariam opem presbyteris in hoc afferrent, vel illorum defectui supplerent; proinde facilius vel difficilius pro necessitatis vel magnæ utilitatis gradu ad hoc munus admissi sunt. Unde semper habiti sunt velut *extraordinarii*, et subsidiarii ministri baptismatis; in hoc præ cæteris

excelluerunt quod admissi sint ad solemnem baptismatis collationem. *Ordinarii* autem hujus sacramenti ministri præsbyteri, et multo magis episcopi habiti sunt.

Sed vario modo hoc munus impleverunt pro varietate disciplinæ. Antequam in singulis diœcesibus aliæ erigentur ecclesiæ, præter cathedralem, sicuti alii non erant in diœcesibus animarum pastores præter episcopos, ita de episcopi commissione presbyteri, sicut alia, ita et hoc sacramentem velut sub illius oculis conferebant. At posteaquam aliis constitutis ecclesiis, diœcesis velut in tot familiolas spirituales distincta est quot sive in pagis, sive in urbibus erectæ sunt parochiæ, quæ velut suum patrem immediatum agnoscebant presbyterum ab episcopo ad parochiale munus destinatum, unusquisque videt quomodo, salvo manente episcopi jure, debuerit hujus sacramenti administratio parochorum muneri adscribi, ut ita familiam cujus erant patres, generando propagarent, nec alii præsbyteri nisi de episcopi vel parochi venia ad hoc sacramentum ministrandum admitterentur. Hæc facillima sunt, sed gravior nos manet quæstio de iis qui ad Baptismum debent admitti, videlicet : De subjectis.

II. De subjecto baptismi.

III. Quandoquidem baptismus est de necessitate medii ad salutem, nemo ex Dei misericordia ab illius participatione excluditur : omnibus patet ad salutem. Propterea docent theologi, credit Ecclesia omnes homines sive infantes, sive adultos, qui jam baptizati non sint, esse subjectum idoneum baptismatis recipiendi. Cohærenter ad hanc fidem Ecclesiæ disciplina

jam tum a prima Ecclesiæ fundatione sive adultos sive parvulos admisit ad baptisma; sed ne sine delectu et imprudenter hoc magnum justificationis donum dispensaretur hominibus, plura decrevit sive pro infantibus, sive pro adultis servanda ad licitam baptismi collationem.

De adultis.

IV. Initio Ecclesiæ, nulla interposita mora, baptismus dari consuevisse videtur, quum eum suscepturus suum jam patefecisset animum pietatis et religionis plenum, fideique mysteria percepisset. Ita Actor., VIII, 36, dicenti eunucho : « *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* » dicet ei Philippus : » *Si credis ex toto corde licet ;* » et respondens ait : « *Credo filium Dei esse Jesum Christum.* » Et jussit stare currum; et descenderunt uterque in aquam, Philippus et eunuchus et baptizavit eum. — Act.. X, 48, postquam Petrus vidisset mirabilia quæ accidebant in domo centurionis, aïebat : « *Numquid aquam quis prohibere potest ut non baptizarentur hi qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut et nos?* » Et jussit eos baptizari, etc. — Verumtamen quum hujusmodi effectus subitaneæ conversionis et omni censu portentosæ, quæ passim accidebant et multiplicabantur in primæva Ecclesiæ fundatione, rariores evasissent Ecclesia jam fundata, et contra experientia docuisset non satis tutam esse fidem illorum qui sine periculo et probatione baptismo essent initiati, inducta sunt quædam Tyrocinia ab iis subeunda qui ad baptisma contenderent, in quibus illorum bonum propositum probaretur, ut piis exercitationibus et jugi catechesi, in qua fidei et morum doctrina tradebatur, disponerentur ad baptisma suscipiendum.

Homines ad hæc Tyrocinia admissi erudiendi, docendi, græce κατηχουμένοι quod est a κατηχέω, i. e. erudio, doceo, dicti sunt. Κατηχούμενος enim est qui discit doctrinam seu elementa religionis; κατηχιστὴς, qui eam tradit; κατηχισμὸς et κατήχησις, instructio (a κατα per, ἠχέω, sono). Hic catechumenatus institutus ad singulorum fidem, vitam, animum diligenter probandum, habebat certos gradus quos singillatim incurrere oportebat, ita ut catechumenus in re christiana diligenter instrueretur. Numerus autem horum graduum non videtur uniformi retentus disciplina. Nam quidam duos faciunt gradus catechumenorum, alterum eorumquos ατελεστερους, imperfectiores, alterum eorumquos τελειωτερους, perfectiores, vocabant. Ita pariter duos catechumenorum gradus, alius videlicet eorum qui proprie *catechumeni*, et alius eorum qui *competentes* vocabantur, hoc est imperfectiores et perfectiores recenset Origenes, Zeno, Isidorus, Rabanus, etc.

Passim vero scriptores ecclesiastici docent tres aut quatuor fuisse catechumenorum gradus. Primus erat *audientium* sive auditorum, qui poterant in Ecclesiam convenire, lectiones et sermones audituri; verum ante preces exire cogebantur clamante diacono : *ne quis audientium.* Secundus erat *orantium* seu genuflectentium, sive *prostratorum*, qui in genua provoluti publicis precibus intererant et Missæ usque ad offertorium, et proprie catechumeni dicebantur. Ad offertorium, diaconus clamabat : *Quicumque catechumeni discedite :* hinc Missa usque ad offertorium dicebat *Missa catechumenorum*, post offertorium, *Fidelium.* Tertius gradus erat *Competentium* et *Electorum*, quem alii in duos gradus distinguunt, videlicet eorum qui ab episcopo examinati et probati fuerunt ad baptismum

proxime suscipiendum, quem idcirco una cum aliis publice petebant.

In hisce tribus aut quatuor gradibus sensim docebantur evangelica præcepta et fidei nostræ mysteria, crebris jejuniis et vigiliis et precibus exercebantur, et manuum impositionibus aliisque sacramentalibus ad baptisma disponebantur. Symbolum autem et altiora mysteria iis non pandebantur nisi appropinquante baptismatis die, ut servaretur *Arcani disciplina,* quæ tamen, extincta pagana superstitione, paulatim exsolevit.

Hodie licet desierit solemnis catechesis et antiqui gradus catechumenatus, aliqua vestigia adhuc supersunt hujus disciplinæ; hodie enim etiam adulti, antequam ad baptismum admittantur, in fide et bonis operibus instituendi sunt ne rudes, ignari, et minus recte probati sanctissimam religionem amplectantur; solent etiam hodie vocari catechumeni.

De infantibus.

V. Catechumenatus qui pro adultis institutus est, non servatur pro infantibus quum ab iis dispositiones ad baptismum nequeant expectari; aliis vero de capitibus plures quæstiones instituuntur de baptismo infantium.

1° Dubitatum est an valide baptizari possent infantes in lucem nondum editi! — Tres casus contingi possunt, ex Benedict XIV *de Synodo* ca. 5. 1° Vel infans penitus inclusus est in utero materno. 2° Vel infans in tali statu est, ut licet nondum in lucem sit editus, tamen tangi, tractari, et adhibito aliquo medio tingi possit. 3° Vel non est amplius totaliter abditus in utero materno, sed aliquam sui partem ex utero emisit.

Certum est in *prima* hypothesi infantem sicut aqua tingi non posse, ita nec posse baptizari. Solum nonnullorum hæreticorum opinio fuit quod ejus loco matris corpus ablui posset. Censebant enim, ut tradit Augustinus lib. 6. *contra Julianum* c. 5, infantem utero inclusum esse partem corporis materni, et proinde per ipsam baptizari.

At *altera* questio maxime perplexa est. Nam Baptismus est sacramentum regenerationis, seu secundæ nativitatis spiritualis, cui necesse est ut prima corporis nativitas præcedat. Dixit enim Christus : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto, etc. — Nisi quis renatus fuerit denuo, non poterit videre regnum Dei, etc. — Oportet vos nasci denuo. » Non potest autem denuo nasci aut renasci qui nunquam natus est. Verum ex alia parte videtur vere natus ille qui non amplius inclusus et absconditus in utero materno est, sed jam obstetricis manibus tractari possit. Cæterum putandum non videtur ex natura baptismatis totalem et absolutam nativitatem, et egressum ex utero materno requiri, sed talis status quo infans ablui possit, quum hæc nova generatio non tam nativitati quam generationi opponatur, et ideo in baptismâte renascimur quia per illud generamur. Sed generatio et nativitas eodem actu perficitur in baptismate, distinguitur vero in natura. Sed quæstio non est eliquata : ergo suadetur baptizandum esse infantem eo in statu sub conditione, qua rebaptizetur quum periculum cessabit.

Ad *tertiam* questionem respondet Rituale romanum, titulo de baptizandis parvulis, quod instante mortis periculo in ea parte baptisma conferendum sit, quæ ex utero emergit, additque non esse baptisma repe-

tendum si salutari aqua caput infantis tinctum fuerit, sub conditione tamen rebaptizandum quum non caput, sed quœlibet alia corporis pars aqua perfunditur. Addit S. Th. 3ª parte qu. 68. art. 2. ad 4um quia in nulla exteriorum partium integritas vitæ consistit sicut in capite. Manet tamen inter Theologos opinabile *an caput* hic sumatur *restrictive*, vel demonstrative seu exempli causa ad indicandam partem principalem, uti humeros, scapulos, pectus, brachia ad exclusionem unius vel alterius digiti, vel manus etiam.

VI. Hæc pertinent ad infantes non natos : an sint subjecta idonea baptismatis recipiendi. At quoad natos etiam pueros maxima quæstio agitata est an omnes liceret ad baptismum admittere. Quæstioni originem dedit zelus nonnullorum qui infidelium filios, nescientibus et aliquando contradicentibus parentibus, optarunt baptizare, et aliquando proprio spiritui indulgentes baptizarunt. Plura de hac quæstione tractavit et enodavit Benedictus XIV sub constitutionibus que exstant, altera nº 54. tom. 3, altera nº 58. tom. 2. Bullarii ejusdem.

Quum infans ex natura in parentum potestate constituatur, inde voluit Ecclesia ut ab ipsis parentibus, vel ab iis in quorum potestate erant, ad baptisma offerretur. Nihil ergo antiquius Ecclesia fuit quam ut infidelium filios invitis parentibus non baptizaret; cui disciplinæ prœter rationem quam antea posuimus, et alia suffragatur, videlicet, ne infantes sic baptizati, adulti quum fuerint, ob parentum amorem iterum ad infidelitatem convertantur. Unde cum S. Th. in 2ª parte qu. 68. art., distinguimus an hujus modi infantes infidelium habeant usum rationis, nec ne. Si nondum habent usum liberi arbitrii, secundum jus na-

turale sunt sub cura parentum quamdiu ipsi sibi providere non possunt; et propterea contra justitiam naturalem esset si hujusmodi pueri invitis parentibus baptizarentur. Contra vero si liberum habeant arbitrii usum, et ipsi sibi possint providere; tunc enim debent a parentibus segregari, et liberari ab injusta vexatione et injusto imperio et sacris mysteriis initiari, nec baptizati tam facile parentibus restitui, ne iterum ob paternum affectum ad abjurandam religionem provocentur. Ita S. Th. loc. cit. : « Quantum ad ea quæ sunt juris divini vel naturalis, incipiunt filii sub *potestate* esse, et ideo propria voluntate possunt invitis parentibus baptisma suscipere. »

Ut videtis, tota hujus disciplinæ ratio in eo consistit, ne *patris potestati derogetur* : inde sequitur quod si sine hujusmodi detrimento baptismus possit conferri, liceat. 1° Si pater vel filius christiani mancipium sit; 2° quum a parentibus projecti et derelicti sunt, et expositi; 3° in vitæ periculo; 4° quod dicitur de parentibus, dicatur de tutoribus; 5° licet si unus vel alter parentum dissentiat, sed alter consentiat, ob favorem fidei (duo attenduntur : potestas in liberos, et favor fidei). Avus paternus potest offerre ad baptismum nepotem et neptem, defuncto patre et dissentiente matre, et multi sunt qui id fieri posse defendunt, quum ambo parentes sospites sunt et ambo dissentiunt. Avia paterna potest, quamvis mater tutoresque dissentiant.

Aliqualis matris potestas tantum pondus accipit favore fidei, ut vincat patriam potestatem dissentientem. Avia sub appellatione parentum comprehenditur, et non est mere extranea, quæ agit ob merum favorem fidei : favor fidei jungitur alicui legitimo titulo ut

possint qui non habent patriam potestatem. Dominium juris gentium vincit jus patriæ potestatis servorum in liberos. Aliud est a natura prohiberi quominus exclusis parentibus, alius sese educationi filiorum immisceat; saltem in dubio prævalet favor fidei. Casus aviæ paternæ contra dissensum patris non est definitus.

§ II. DE TEMPORE ET LOCO.

VII. Ecclesiæ nascentis exordio, sicut nullus institutus erat catechumenatus velut dispositio ad baptisma, sed omnes qui fidei et pœnitentiæ dedissent indicia ad baptisma admittebantur, ita et nullum determinatum erat tempus, locus, ritus, quo baptisma conferretur, dummodo ea servarentur quæ jure divino ad sacramenti valorem erant requisita. At vero isthœc praxis quæ initio invaluit tanquam primæ Ecclesiæ fundationi accommodatissima, respondebat enim apprime singularissimo illo et extraordinario divinæ providentiæ influxui qua Ecclesia celerrime erat propaganda, sive ut quam citius fieri poterat, saluti animarum sucurreretur, sive ut quam celerius fieri poterat, societas hæc catholica fundaretur; sed visa non est Ecclesiæ amplius accommodata quando ipsa jam fundata societas fuit. Proinde excepto necessitatis casu quo Ecclesia considerat velut aptissimam illam disciplinam quæ iis contenta quæ ad ritus essentiam spectant, cætera non requirit, in *ordinaria* hujus sacramenti administratione plura decrevit quæ ad decoram hujus sacramenti administrationem, ad fidei suæ significationem, ad fidelium spiritualem culturam censuit opportuna.

Non amplius quodlibet flumen quod forte occurreret, fuit locus, non amplius quilibet dies fuit tempus,

non amplius simplex invocatio Sanctissimæ Trinitatis quæ corporis ablutionem concitaret, fuit ritus baptismatis conferendi, sed plura de loco, tempore et ritibus constituta sunt.

Itaque erectis sacris œdibus christianis, optimum visum est ut sacratissima hæc res in sacris *locis* administraretur : inde apud sacras œdes erecti sunt fontes qui ex usu cui deserviebant, *baptismales* vocati sunt. Erectæ postea cathedrales, et inferiores Ecclesiæ, et in iis par disciplina observata est : unde plures in singulis diœcesibus erecti sunt fontes huic usui destinati. Duo hic adverte :

1° Licet in aliis præter cathedrales ecclesiis erecti sint fontes baptismales, non tamen in omnibus, sed in iis quæ velut Ecclesiæ matres essent habendæ. Talis erat primo loco Ecclesia cathedralis, et quidem quousque fuit unica Ecclesia parochialis ; sed quando aliæ, prœter ipsam, parochiales Ecclesiæ fuerunt institutæ, facile fuit eas ex paritate rationis et officii in ejusdem juris privilegium admittere ; non tamen omnes, et facilius quidem Ecclesias rurales quam civitatenses ; illæ enim prout magis dissitæ speciali quodam modo efformabant centrum alicujus plebis christianæ, in cujus commodum fons baptismalis erat erigendus, seu sicuti antiquior est institutio parochialum ecclesiarum ruralium quam civitatensium, ita antiquior fuit erectio fontium baptismalium, præter fontem Ecclesiæ cathedralis, in pagis quam in civitatibus episcopalibus. Quando adaucta plebe christiana, una parochia in plures distincta est, non semper nec facile est derogatum juri Ecclesiæ matricis. Unde nullæ aliæ Ecclesiæ præter parochiales habent fontes baptismales, sed non omnes parochiales illos habent.

Uno verbo sicuti *una* in singulis diœcesibus est *Ecclesia mater*, videlicet cathedralis, ubi sedet Episcopus qui est pater, ita originario quodam jure una est Ecclesia baptismalis. Sed sicut paternum hoc officium est in alios præsbyteros ordinario derivatum, et aliæ erectæ Ecclesiæ parochiales, ita et hoc privilegium in alias Ecclesias derivatum est. Et hoc quidem primo derivatum est in parochias rurales, dein in civitatenses, et facilius in illas, difficilius in istas ob rei opportunitatem : aucto populo christiano et multiplicatis parochiis, non facile est juri antiquarum derogatum, quæ velut matres etiam inferiorum parochiarum consideratæ sunt.

2° Quum Ecclesia materialis, inter alias mysticas significationes, repræsentet spiritualem Ecclesiæ societatem cui per baptisma aggregamur, sit locus cultui publico destinatus cui admittimur per baptisma, proinde sit expressio etiam externæ communionis christianæ, Ecclesia quæ solet ex visibilibus ad invisibilia elevare homines, et disciplina exprimere dogma, hujus modi fontes baptismales erexit semper prope januam ecclesiæ, et ut plurimum, etiam extra, sed prope Ecclesiam, erectis sacris ædiculis prope Ecclesias, ubi baptisma tribueretur, quæ *baptisteria* vocata sunt.

Hoc caput disciplinæ habet præter exceptionem casus necessitatis, aliam exceptionem, si regum vel principum filius sit baptizandus, ex concilio Viennensi. Addit Rituale hoc fieri debere in eorum oratoriis, et aqua baptismali de more benedicta, de qua postmodum loquemur. Hæc exceptio tribuenda est Ecclesiæ prudentiæ quæ soluit semper, quando potuit sine divini cultus jactura, principum animos sibi devincire,

ut ipsi suam advocatiam promptiori animo tribuerent.

De *tempore* vero quo baptisma conferendum esset, licet Ecclesia cum justa id causa postularet, nullum tempus exclusit a baptismatis administratione, attamen ob specialem nonnullorum festorum cultum voluit ut illis diebus baptismatis administratio reservaretur. Et quidem a remotissima antiquitate et jamdudum a secundo vel tertio rei christianæ sæculo, id placuit fieri duobus festis in quibus Ecclesia memoriam celebrat eorum mysteriorum quæ speciali quodam nexu cum Ecclesiæ fundatione sunt connexa, videlicet vigiliis Resurrectionis et Pentecostes. Hisce festis apud nonnullas ecclesias accessit Epiphania ob memoriam diei quo Christi baptismum in Jordane celebrat Ecclesia; inde pro variis ecclesiarum moribus, et dies natalis, et festa apostolorum et martyrum accesserunt. Cadente catechumenatu, ordinaria facta est et quotidiana baptismatis collatio. Solum ad memoriam vetustæ disciplinæ, illius remanet vestigium in ritibus qui in sabbatis ante Pascha et Pentecosten ac per totas harum solemnitatum octavas peraguntur, et ut antiqua disciplina quoad baptizandi tempus aliquo modo servetur, exoptat Rituale romanum et concilium Romanum sub Benedicto XIII, ut hæc praxis in Ecclesiis præsertim cathedralibus servetur. Unde solet etiam hodie frequenter baptismus adultorum sabbatis prædictis, et præcipit cæremoniale episcoporum ut per octo dies ante Pascha et Pentecosten in illis ecclesiis, nisi periculum immineat, nullus infans baptizetur.

§ III. DE CEREMONIIS AC RITIBUS.

VIII. Pars autem Ritualis ab Ecclesia prescripta in baptismatis collatione amplissima est, et infinitis propemodum spiritualibus referta significationibus.

1° Aqua benedicenda, et quidem non juxta consuetos Ecclesiæ ritus, quibus aqua lustralis ad sacramentalia destinatur et a rerum profanarum usibus secernitur, sed quadam speciali benedictione ad hujus sacramenti administrationem directa. Satis est unicuique legere orationes quas sacerdos recitat aquam hanc benedicturus, mysticos ritus quos usurpat, ut unus quisque facile agnoscat quomodo Ecclesia explicet universam suam fidem de hujus baptismatis sacramento. Potius animadverto antiquissimam esse hujus Ecclesiæ disciplinæ originem (vocabant Patres aquæ *sanctificationem* et *consecrationem*), et talem quæ usque ad prima sœcula pertinet, et tanta religione servatam, ut si aqua ad omnes baptizandos non sufficeret, potius nova per canales in baptisterium infunderetur, quam ut aqua profana uterentur Patres nostri. Hæc vero benedictio a latinis fit sabbatis sancto et Pentecostes, a græcis quoties baptisma administrandum sit.

2° Non solum elementum in quo dandum esset baptisma disponit Ecclesia, sed et in cæremoniis circa baptizandos simul, ut moris est, exponit fidem suam. Nam omnes hæ cæremoniæ consistunt in detestatione peccatorum, et abrenuntiatione Satanæ, et ejusdem exsufflatione, et in sponsione, promissione, et voto perpetuo deserviendi Christo. Prima antiquitus fiebat solemnitas erga occidentem, alia erga orientem facie conversa. Consistunt in manuum impositione, exor-

cismis et salis degustatione ad effugandum diabolum, in professione fidei, et oratione erga Deum. Tunc incipit in Ecclesiam ingredi baptizandus, quum recitat symbolum et orationem dominicam.

3° Expletis his ritibus præparatoriis, tingitur infans in aqua lustrali, vel per infusionem, vel per immersionem, juxta varios ecclesiæ mores. Hoc peracto, universus ritus intendit exprimere salutares baptismi effectus, in traditione vestis albæ quæ puritatem, cerei accensi qui caritatem indicat, et in chrismatis unctione ut in accepta justitia et sanctitate perseveret.

Loquendum etiam est de nominis impositione, quod cum nova nativitate connectitur, quodque amat Ecclesia ut in nominibus in hac societate sacris eligatur : rejiciuntur nomina propria falsarum religionum et idolorum.

Adhibentur *Patrini* : horum origo ab Ecclesiæ incunabulis. Hi primo dicti sunt fidejussores, et sponsores, fidei dictatores, offerentes, et erant catechistæ qui de catechumeni moribus et vita testabantur et veluti fidejubebant. Hisce successerunt susceptores seu patrini et matrinæ, quasi pâtres et matres spirituales, quorum munus est baptizandos offerre ministris, eos de sacro fonte suscipere, pro infantibus respondere ministro interroganti, adultos docere quid respondere debeant, vel eorum vice respondere si ad id non sint idonei, susceptos demum, si hoc officio non funguntur parentes naturales, in rebus fidei christianæque doctrinæ erudire.

Inde a patrini munere removentur infideles, et heterodoxi, excommunicati, infames, rationis usu carentes, rudimentorum fidei ignari, et muti. Item, et

regulares, jure communi, et monachi ob solitudinem, et clerici absque ordinarii licentia, ut volunt plura statuta particularium locorum.

Decet ut sint puberes et confirmati.

Debent autem admitti, vel unus, aut una, vel ad summum duo, unum pro singulis sexibus, et hoc de jure communi, ne nimis sese extendat cognatio spiritualis; quapropter nec conjux conjugem, nec pater filium suscipere potest.

CAPITUL. II.

DE CONFIRMATIONE.

I. Quemadmodum natus homo in ordine naturali sensim roboratur et crescit, ita vita supernaturalis quæ per sacramentum baptismatis in nobis enata est, per sacramentum confirmationis adolescit. Ecclesiastica disciplina, quæ dogmatis perpetua expressio est, simpliciter baptizatos tanquam infantes, confirmatos tanquam viros considerat in communione, in societate christiana : illos tanquam meros cives, hos tanquam milites civitatis Dei quæ est Ecclesia.

Postquam ergo de primo illo sacramento, quo Deo renascimur per gratiam invisibiliter, et visibiliter ecclesiasticæ societati aggregamur, jamdiu locuti sumus, de hoc altero sacramento hodie loquendum est. Quod ut prestem eo modo, quo viris theologis non displiceat, suppositis notionibus dogmaticis quæ hoc sacramentum respiciunt, pauca tanquam delineabo sub respectu potius disciplinari, et quidem ut definiam generales hujus sacramenti status in societate christiana.

Quum autem sacramenti notio involvat notionem

ministri et subjecti, materiæ et formæ, et ritus externi qui hæc omnia comprehendit eaque comitatur, ad hæc capita præsentem tractationem restringam.

I. De ministro.

II. Itaque *Ordinarius* confirmationis minister est Episcopus; voluisse enim videtur Christus ut vitæ spiritualis perfectio et consummatio non ope inferiorum sacerdotum, sed ope illorum qui perfectionem et complementum habent sacerdotii, efficeretur : ut, si inferiores ministri possent prolem augere, et numerum civium hujus mysticæ civitatis baptizando, ii soli qui ad munus pastoris et rectoris hujus civitatis essent assumpti, possent ad spiritualem militiam adscribere, cives confirmando.

At vero jamdudum videmus a Gregorio I sub finem sæculi VI, morem quemdam approbatum fuisse ut presbyteri Calaritani, ubi episcopi deessent, possent baptizatos confirmare. Idem privilegium quod presbyteris Calaritanis Gregorius Magnus concessit, aliis etiam præsbyteris, alii pontifices Maximi concesserunt, continuo vero in locis præsertim missionum indulgent. Accedit quod græci præsbyteri, prout longe ante Photianum schisma receptum est, quod licet ordinariis hujus sacramenti minister unus sit episcopus, *extraordinarius* esse possit presbyter cum speciali deputatione summi Pontificis, quæ quidem extraordinario Latinis præsbyteris conceditur, Græcis autem veluti ordinario concessa præsumitur ex eo ipso quod et Romani Pontifices nunquam Græcorum consuetudini restiterunt, eamque approbare visum sit concilium Florentinum, ut late de hac re disserit Benedictus XIV, lib. VII, c. 9 de synodo diœcesana.

III. At licet hoc communi sensu recipiatur (quoad enim ministrum ordinarium habemus synodi Tridentinæ definitionem, quoad ministrum extraordinarium habemus factum R. P., quod, quemadmodum juri divino consentaneum est, ita definitioni videtur æquivalere), non tamen quæstiones de hac re concipiendæ inter Theologos et Canonistas cessarunt.

1° Quomodo enim ex delegatione minister hujus sacramenti constituitur? — 2° Si delegare potest summus Pontifex, quare non simplex episcopus quoad diœcesim suam?

Prima *quæstio* ardua est, et de ea aliquid innui in tractatu de ordine et jurisdictione. Ardua est : nam hujusmodi sacramenti administratio quoad validitatem nullam exigit jurisdictionem certissime. Episcopus enim, licet suspensus et excommunicatus, si episcopus est, valide confirmat. Unicum est sacramentum quod ad validam sui collationem desideret jurisdictionem, et est pœnitentia, quia requirit sententiam judicis : cætera per modum doni conferuntur. Nec dicas jurisdictionem sapere adscriptionem militiæ christianæ quæ per hoc sacramentum elargitur; valide enim non adscribitur militiæ nisi qui deputatis a rege ministris de regis voluntate adscribitur. Quod enim per analogiam dicimus non potest prostrahi ad identitatem.

Adscriptio militiæ civili, quum non compleatur per actum quod de re substantiam capiat, si contra regis voluntatem fit, non tantum illicita, sed et invalida est.

At non ita in confirmatione, quæ, prout actus sacramentalis, de se operatur, licet contra voluntatem præpositorum Ecclesiæ administretur. Identica ratione

nullus christianus dici deberet, quoties contra Ecclesiæ voluntatem baptismus collatus fuisset. Ergo ex hac parte certe sacramentum confirmationis non potest dici valide administratum ex delegatione; sine delegatione non ita.

Si autem jurisdictio non requiritur, quare sine delegatione invalide quis confirmet? non potest responderi quod ex delegatione compleatur potestas ordinis [1]: quo sensu enim hoc dicitur? quatenus potestas ordinis in suo genere perfecta postulat jurisdictionem in suo exercitio, sicut accidit in sacramento pœnitentiæ? Sed huc redit id quod confutatum est. Quatenus delegatio perficiet potestatem ordinis quæ tantum inchoativa et insufficiens est? sed quomodo externa missio et delegatio perficit idoneitatem intrinsecam quæ ex charactere sacramentali defluit, et mediante ritu sacramentali, non delegatione, acquiritur?

Quantum perpendi hoc problema, plausibiliorem ejus solutionem animadverti eam quam præbet Berardius, videlicet quod licet Christus Dominus voluerit ut ordinaria sacramentorum administratio a potestate ordinis penderet, non tamen ita ut non posset extraordinariè aliquando illius defectui suppleri. Ita licet ordinarius baptismi administer sit presbyter, attamen extra ordinem illum administrat et diaconus, et ita quidem si in solemni baptismatis collatione sacerdotis vices suppleri debet. Si vero de privata baptismatis collatione sit sermo, extraordinarius administer est quilibet fidelis, imo et infidelis. Numquid quia alii etiam præter presbyterum admit-

[1] Hic auctor noster suam opinionem *particularem* defendit.

tuntur ministri, sacerdos, quum baptizat, non exercet ordinis potestatem? num collatio baptismatis non est actus ordinis? numquid illa verba : « Baptizate, etc. » omnibus dicta sunt, non solis apostolis? minime ; sed collatio baptismatis est functio ordinis presbyteralis, eamque exercet sacerdos quum baptizat; quum autem sermo esset de sacramento in absoluta necessitate, noluit Christus ut ita penderet a potestate ordinis, ut sine ea baptismum haberi non posset, sicut sine ea, v. gr. non habetur Eucharistia; sed admisit ut alius qui non sit sacerdos, imo nec fidelis, possit illius defectum supplere. Voluit ut quilibet baptizaret, valide baptizaret, licet vi ordinis soli sacerdotes baptizarent ordinario.

Hæc œconomia quam Christus secutus est in baptismate instituendo, viam aperit ut analogo quodam sermone explicemus œconomiam quam secutus est in confirmatione. Ordinarius minister Ordinis et Confirmationis est episcopus : ergo quoties promovet ad ordines et confirmat, vi Ordinis operatur, et exercet quam habet, Ordinis potestatem.

At non eodem modo confectio amborum sacramentorum potestati Ordinis episcopalis alligata est. Nam defectui potestatis Ordinis episcopalis suppleri nequit in sacra Ordinatione. Ordinatio (intelligo collationem ordinum hierarchicorum) a non episcopo facta nulla est. At non ita requiritur potestas ordinis quoad collationem confirmationis, ut alius non episcopus conferre non possit, sicuti diximus de baptismate. Sed distinctio in hoc est, quod quum in baptismate ageretur de sacramento absolute necessario, voluit ut defectus potestatis ordinis posset a quolibet suppleri, non ita vero in Confirmatione; sed solum possent

presbyteri qui speciali quodam modo ab ecclesiastica auctoritate essent ad id deputati.

Ergo presbyter confirmans exercet potestatem ordinis? non; quia non habet nec completam nec inceptam vi ordinationis presbyteralis, quæ ad hoc non ordinatur; non habet vi delegationis, per quam potestas ordinis non datur. Sed habet vi ordinis habilitatem ad recipiendam delegationem per quam constituitur extraordinarius minister Confirmationis, sicut quilibet homo sine potestate ordinis et sine delegatione est minister extraordinarius baptismatis.

IV. 2° Quare hæc delegatio fit ab uno S. P., non autem quilibet episcopus delegat, qui est ordinarius hujus sacramenti administer? — R. Quia hæc delegatio non concipitur tanquam transfusio auctoritatis in aliquem ut ipse faciat nomine alterius quod nequit nomine suo. Potestas enim ordinis non transfunditur delegatione, sed ordinatione. Sed concipitur potius tanquam mera deputatio personæ quæ sine ordinis potestate id faciat extraordinarie ad quod faciendum ordinarie requiretur ordo episcopalis.

Sed quidquid sit de hac quæstione : aut jus divinum hoc reservavit supremæ auctoritati ecclesiasticæ, et tunc nulla difficultas; vel si jus divinum concessit episcopis, et quum potestas delegandi non sit potestas ordinis, quæ limitari non potest, sed potestas Jurisdictionis quæ certe jure ecclesiastico potest limitari, tunc potestas ex ipsa ecclesia reservata est. Aliud enim est quærere an delegatione hac detur Jurisdictio, aliud an fiat ex jurisdictione. Sit ex juridictione : non temere mandatur jurisdictio, nec mandatur ordo, sed tantum constituitur minister extraordinarius qui

non habet ordinem ad sacramentum ordinarie conferendum.

Hæc quidem dicta sint de validitate. Quid de licitudine? Non loquor hic de presbyteris. Aut enim sunt ministri licite et valide, aut illicite simul et invalide, quum tunc solum licite sint ministri, quando valide. At Episcopi qui ordinario sunt hujus sacramenti ministri, qui juxta sui ordinis potestatem conferunt, qui habent plenam et perfectam illud conferendi auctoritatem, isti certe sunt semper valide ministri.

Sunt ne vero semper et licite?

Rep. Licet quilibet episcopus sine jurisdictione ulla, ubilibet et quemlibet confirmet, valide confirmet, tamen si hoc faciat vel in subditum non suum vel extra diœcesim suam, sine ordinarrii illius loci vel personæ licentia, illicite agit. Et quidem si sermo sit de episcopo extra diœcesim suam confirmante, res est extra controversiæ aleam admissa, siquidem apertis verbis Trid. VI, de ref. 5, vetus juris sanctio iterum innovata et declarata est, per quam inhibetur episcopis usus pontificalium extra diœcesim suam sine expressa Ordinarii licentia. Nomine autem pontificalium veniunt vel functiones ordinis episcopalis, vel functiones ordinis sacerdotalis, si requirunt usum Pastoralis et annuli. Itaque ut ordo sacrorum, prohibitum est episcopis, sub pœna suspensionis ab usu pontificalium ipso facto incurrenda, ne hoc facerent sine debita licentia. Quod vero pertinet ad personas non subditas, res est ex paritate vel similitudine rationis definita a S. C. g. Conc. 28 novembri 1602, et fere unanimi auctorum sententia admissa, licet videatur nec suspensionem incurrere, et forte etiam a culpa excusari; nam isthæc venia facile potest præsumi.

II. De subjecto.

V. Quilibet baptizatus non confirmatus, ut scitis, est subjectum idoneum recipiendi confirmationem. Et quidem olim, quo tempore baptismus conferebatur, eodem conferebatur confirmatio, sive parvulis sive adultis. Huic simultaneæ vel melius successivæ collationi occasionem præbebat vetus disciplina, juxta quam sicut confirmatio, ita baptismus in ordinario episcoporum ministerio erat. Quod si necessitas quemquam baptizari postularet, absente episcopo, huic confirmatio in aliud tempus differebatur.

At institutis parochiis, postquam munus baptizandi evasit proprium parochorum, qui sacramentum confirmationis nequeunt administrare, utriusque administratio distincta est. Accessit et alia ratio. Primis Ecclesiæ sæculis frequentissimus erat baptismus adultorum, rarior puerorum. At Ecclesia fundata, hodie est ordinarius et frequentissimus baptismus infantium, extraordinarius adultorum. Jamvero si necessitas salutis postulavit ut baptisma infantibus conferretur, hoc non postulabat confirmationis collationem; quum enim hoc sacramentum potissimum conferatur ad augmentum gratiæ sanctificantis, et ad tribuendum jus ad ea gratiæ auxilia quæ necessaria sunt ad subeundam pugnam pro fide christiana, nec sub primo respectu erat infantibus necessarium hoc sacramentum, nec sub secundo.

Contra vero decora sacramenti administratio exigebat ut ad illud tempus differretur, quo pueri instructionis capaces esse possent, et divini beneficii pretium pro meritis æstimare. Unde firma manente veteri disciplina pro adultis, quoad infantes regula-

riter receptum est, ut tradit catechismus Trid., ut illis ante septennium non conferatur, licet non prohibeatur quominus aliqua urgente justa causa illis possit ante dictam ætatem pro episcopi consilio et prudentia administrari; quod potissimum instante morte attenditur, ne augmento gratiæ et gloriæ infantes defraudentur. Hæc exceptio regulæ generalis supponitur ab ipso pontificali romano, ut tradit Bened. XIV, *de Synod.*, VII, X.

At Ecclesia orientalis fuit vetustæ disciplinæ retinentissima, et immediate post baptisma hoc sacramentum confert. Nam nec valet pro eis prima ratio adducta, quando, ut diximus, apud eos ab immemorabili evasit in potestatem presbyterorum ut hoc sacramentum conferant. Non secunda, quia, ut advertit P. Drouet allatus a Bened. XIV ibid., Latini decori magis et dignitati sacramenti respectum habuerunt, Græci vero ad subjecti utilitatem magis, ut videlicet quidquid gratiæ poterunt, promptius neophytis procurarent.

III. De forma et materia.

VI. Disputant theologi de materia et forma hujus sacramenti. Etiam inter eos qui conveniunt de necessitate chrismatis, dubitatur an sit necessaria consecratio ab episcopo facta. Si qui tenent manuum impositionem esse materiam, dubitant an sit illa quæ fit sub unctionis auspicium, vel illa quæ in actu unctionis, vel utraque tanquam una : inde variant etiam quoad formam hujus sacramenti, an sit illa quæ respondet primæ manuum protentioni, videlicet oratio *Omnipotens*, an sit alia *Signo te signo crucis.* In hac tanta opinionum controversia Ecclesia absolute vult ut nihil

omnino de cœremoniis ab ipsa præscriptis omittatur, et si quid omissum sit, non repetatur sacramentum, sed caute suppleatur (c. 1° de sacramentis non iterandis. Bened. XIV monet quod, licet presbyteris concedatur facultas chrismandi, semper tamen cum chrismate ab episcopo benedicto.

IV. De ritibus servandis.

VII. Nihil definitum quoad *tempus*, licet maxime expediat ut fiat potissimum recurrente Pentecostis solemnitate, quando Sp. S. in apostolos elapsus est.

Quoad *locum* ecclesia est, si solemniter fiat confirmatio; sed et alius locus conveniens esse potest, et urgente de causa, ubilibet.

Quoad cæteras cæremonias, innuit pontificale et antequam pontifex ritum exordiatur, brevi concione populum doceat de natura, effectibus, ministro sacramenti conferendi.

Pueri, antequam tradantur confirmandi, de rudimentis fidei, et præsertim de iis quæ ad hoc sacramentum pertinent, examinentur.

Ex vetusto more conferendi hoc sacramentum post baptisma, in illud etiam traductus est mos patrinorum. Admittuntur unus vel una pro sexus qualitate, et cætera in iis requiruntur quæ in patrinis in ordine ad baptismum : simile enim habent officium. Solum si ibi deest ut patrinus sit confirmatus, hic necesse est. Consuetudine autem vetustissima receptum est ut patrinus in confirmatione sit distincta persona a patrino baptismatis.

VIII. Nonnulli dubium promovent an liceat episcopo exercere pontificalia extra diœcesim cum licentia expressa ordinarii illius, non autem in subditum hujus

ordinarii, sed in suum. Ratio dubitandi est quia Trid. dicit : « Et in personis eidem ordinario subjectis tantum. » Sed evidens est Trid. mens, quod ibi intelligat subditos nec ordinarii loci, nec ordinarii episcopi gerentis pontificalia; non vero intelligit subditos episcopi exercentis, vel episcopi seu ordinarii loci. Si enim licet cum ordinarii licentia exercere pontificalia in subditos non suos, quanto magis in suos? Uno verbo, Trid. vult ut adsit auctoritas ubi et in personas circa quas exercentur pontificalia, vel originaria, vel delegata, et non sit animus usurpandi.

CAPITUL. III.

DE EUCHARISTIA.

I. Viros theologos latere nequit quomodo Eucharistia a cæteris sacramentis distinguitur in eo quod, quum cætera sacramenta tunc fiant quando ministrantur (immediate enim afficiunt subjectum quod ea percipit) hoc unum, quum afficiat immediate elementum de quo sacramentum fit, ante existit quam administretur. Nam Christus eo direxit salutarem hujus sacramenti institutionem ut quidam cibus, quidam potus pararetur fidelibus, qui id præstaret vitæ spirituali, quod naturalis cibus et potus confert temporali. Sed cibi et potus talis naturæ est, ut in se sint aliquid ante hominum sumptionem, et proinde sine ipsa et ante ipsam concipiantur. Ergo dum cætera sacramenta prosecutus sum perpendens publicam Ecclesiæ œconomiam in eorumdem administratione, hic aliquantisper immutato ordine necesse erit ut primo expendam publicam Ecclesiæ œconomiam et disci-

plinam erga hoc sacramentum in se spectatum, deinde circà ejusdem administrationem.

§ I. DE DISCIPLINA ECCLESIÆ ERGA EUCHARISTIAM IN SE SPECTATAM.

II. Fides Ecclesiæ est quod per verba consecrationis super panem et vinum a sacerdote prolata, fiat admirabilis illa conversio totius substantiæ panis in corpus, totius substantiæ vini in sanguinem D. N. J. C., quam mirabilem operationem vocat transsubstantiationem. Quum autem Christus Dom. a mortuis resurgens amplius non moriatur ob vim naturalis unionis qua partes Christi non amplius morituri inter se copulantur, credit una cum corpore et sanguinem et animam, et una cum sanguine corpus et animam sub speciebus panis et vini contineri : ob indissolubilitatem vero hypostaticæ unionis et divinitatem unà cum corpore et anima Christi unitam esse, propterea que integrum Christum, facta transsubstantiatione, vere, realiter, substantialiter sub speciebus panis et vini contineri. Hanc autem admirabilem Christi præsentiam non nomentaneam esse, sed permanentem, quousque panis et vini species non corrumpantur.

Cohærenter ad hanc fidem, ecclesiastica disciplina duo debuit in Eucharistia quoad se considerata animadvertere : — 1° Objectum cultus supremi : cultus latriæ, qualis soli Deo debetur : Christus enim Deus est. — 2° Quum autem Christus præsens fiat eodem actu quo, distincto per verba consecrationis sanguine ejus a corpore, cruenta mors ejus in cruce repræsentatur, videlicet in statu victimæ, sub signis mortis illius quam pro salute nostra passus est, Ecclesia in hac actione demirata est symbolicum quoddam, mysticum, incruentum, tamen verum et proprie dictum

sacrificium, quod, sicut erat cruenti illius quod in cruce absolutum est representationes, ita illius vivam memoriam in Ecclesia perpetuaret. Sacrificium autem, ut scitis, est præcipua pars cultus publici, et solemnis quædam actio qua speciali quodam ritu servitutem nostram Deo profitemur.

Hoc posito, quum ea fuerit reparationis nostræ œconomia, ut, quemadmodum per Christum redempti sumus ita et per Christum accedamus ad Deum, hoc admirabile sacramentum in quo Christus ipse realiter continetur et incruente offertur et immolatur, velut centrum cultus publici in religione christiana consideratum est. Consideratio hujus sacramenti sub hoc respectu ad determinandas normas quibus Ecclesia cultum publicum moderatur circa illud, nec theologica, nec moralis, sed scientiæ nostræ provincia est. Et quum hic cultus ratione objecti rem sacramentariam respiciat, fit ut de eo modo loquamur, licet alia omnia quæ cultum publicum respiciunt ad alteram partem reservem, uti usum de exercitio vitæ spiritualis seu virtutem christianarum, et præcipue virtutis religionis.

Adde quod sacrificium eucharisticum, quum impetratorium sit et propitiatorium, ideoque capax obtinendi a Deo uberrima gratiæ auxilia ad sanctificationem nostram, optime de eo hic cadit sermo ubi sermo est de rebus ad animæ nostræ sanctificationem a Deo institutis.

Ut autem isthæc tractatio, brevissima quidem, ordinata tamen evadat, ex duplici respectu quo dixi pone Eucharistiam considerari in ordine ad cultum publicum, vel quatenus conficitur per sacrificium, vel quatenus cultus nostri objectum continet, — 1° Loquar

de disciplina Ecclesiæ circa Eucharistiæ sacramentum consideratum in sua celebratione, seu in actu quo conficitur, — 2° Loquar de disciplina circa Eucharistiam consideratam in re permanenti, seu quatenus permanenter Christum præsentem continet.

De sacrificio eucharistico.

III. Jam tum a primis Ecclesiæ sæculis mos fuit Eucharistiam celebrare non iis solum contenta ritibus qui ex Christi institutione essentialiter servandi sunt ut Eucharistia habeatur, sed plures addens cæremonias et ritus, quibus et fidem suam erga hoc sacramentum exprimeret, et gratum animi sensum erga hanc institutionem exhiberet, et fidelium mentes excitaret. Nam data occasione celebrationis Eucharistiæ, et psalmi recitabantur et sanctæ scripturæ V. et N. T. potissimumque evangelii; episcopus qui sacræ functioni præerat populum alloquebatur; supplicationes plures fiebant et preces pro Ecclesiæ pace, pro imperatoribus, pro militibus, pro infirmis, pro afflictis, et pro hominibus qui opem indigent, sive vivis sive defunctis; demum consecrata Eucharistia omnibus fidelibus præsentibus distribuebatur, absentibus mittebatur per diaconos; et tandem populus solemniter dimittebatur.

Ordo precum harum omnium et cæremoniarum, quum publicum ministerium sacrum respicerent, dictæ sunt ab antiquo *Liturgiæ* : universus ritus simul complexive sumptus dictus est *collecta,* græce *synaxis*, a generali totius Ecclesiæ conventu : hodie sive quod ibi immoletur hostia a Deo missa, sive quod in eo preces populi christiani ad Deum mittantur, sive quod solemniter populus functione expleta dimittetur

iis verbis : Ite, Missa est, usus obtinuit ut tota hæc sacra cæremonia *Missa* dicetur.

Quæremus ergo : — 1° De variis Missarum speciebus ecclesiastica disciplina receptis vel improbatis ; — 2° De loco et tempore (die et hora) quo celebranda est ; — 3° De liturgia seu ritu Missæ ; — 4° De præcepto quo sacerdotes ad celebrandum, populus ad audiendum sacrum tenentur.

Plura et alia essent de hujusmodi re quærenda : si quis ea desideret, habet segetem plenissimam sive in operibus omnibus de rebus liturgicis, sive et multo magis in opere Bened. XIV de Missæ sacrificio. — De iis quæ pertinent ad stipendium Missæ hic non agam : de iis enim sermo redibit, quando de rebus materialibus seu temporalibus Ecclesiæ loquar, spiritualium adminiculis.

I. De Missarum speciebus.

IV. Ordinarius modus missas celebrandi in veteri Ecclesiæ disciplina videtur fuisse ut ad illius celebrationem universus clerus et populus una cum pastore suo ad eam conveniret : unde celebratio eucharistiæ synaxis seu collecta dicta est. Exordiebatur cæremonia sacra a lectione sanctarum scripturam et concione episcopi : dein populus fidelis offerebat panem et vinum ex quorum oblatione partim sacrificio, partim clericis et pauperibus alendis inserviebatur. Postea conficiebatur eucharistia ; demum fidelibus distribuebatur præsentibus, et ad absentes per diaconos mittebatur. Populus quidem adstabat, audiebat, offerebat panem et vinum, communicabat. Clericus vero unusquisque pro ordine suo ministrabat, et presbyteri una cum episcopo vel sacerdote sacra faciente offerebant, consecrabant, communicabant.

Ut videtis, Missæ sacrificium vobis sese exhibet ut actio quædam publica, communis, solemnis, non tantum dogmatice loquendo quatenus pro omnibus fidelibus qui ad corpus Christi pertinent celebrabatur, sed et sub aspectu externo, visibili, disciplinari, quatenus universus populus christianus, unusquisque pro conditione et ordine suo, ad illius celebrationem speciali et positivo modo concurrebat. Celebrabantur in Missa concilia totius societatis christianæ.

At unusquisque videt quod in tanto rei apparatu pauca invenimus essentialia ad sacrificium : disciplinaria cætera. Unde jam tum vigente veteri disciplina, extraordinarie licebat presbyteris, aliqua postulante necessitate vel gravi utilitate, etiam privatis in domibus, et aliquando etiam morituris ante lectulum suum sacra operari. Unde videtis distingui duo missarum genera, quæ, licet in essentialibus ritibus conveniant et sint eodem modo sacrificium, tamen unum in solemni et publico cleri et populi conventu, aliud privatim celebratur.

At in veteri disciplina, velut regula erat Missa publica, velut exceptio Missa privata. Sed prout in aliis rebus disciplinaribus accidit, exceptio transivit in regulam. Nam aucto populo christiano, multiplicatis clericis, illa disciplina comprehendendi in unum locum universum populum et clerum, quæ aptissima erat Ecclesiæ infanti, Ecclesiæ adultæ visa non est amplius accommodata, ut omnium fidelium pietati et devotioni succurreret. Addite quod, licet Missæ sacrificium pro universa Ecclesia offeratur, tamen certum etiam est illum de illius fructu speciali modo participare, qui specialiter ad illius celebrationem concurrit, vel pro quo applicatur in specie. Unde postquam lapsu

temporis illa solemnis oblatio panis et vini defuerit, mos increbescere cæpit offerendi pro Missarum celebratione aliquod stipendium ut illius largitor exuberantem sacrificii fructum in se aliosque derivaret. Nec tantum obolum vel stipendium offerebant toties quoties Missa foret celebranda, sed aliquando fundum aliquem assignabant ut ex ejus redditibus certus Missarum numerus in perpetuum celebraretur. Atqui vetus illa disciplina rationabili et piæ fundatorum voluntati satisfacere non poterat : ergo sensim sine sensu factum est ut singuli sacerdotes singulis diebus privatim celebrarent.

Sed non ideo abolendæ erant Missæ publicæ : imo ad decorem rituum sacrorum, ad utilitatem fidelium, ad velut vestigium veteris disciplinæ, adhuc hodie Missæ solemnes celebrantur cum cantu et pluribus ministris, videlicet diacono et subdiacono, vel cum cantu tantum, sed sine ministris sacris. At veteris disciplinæ vestigium potissimum elucet in Missis quas cathedralibus ecclesiis celebrant episcopi solemniter, ubi licet adhuc intueri clerum circumstantem juxta varios ordines sacris vestibus indutum et variis officiis subditum, ubi licet adhuc audire episcopum inter Missarum solemnia alloquentem populum, quamvis communio populi rarior evaserit, quum possit aliis occasionibus fieri.

Institutis parochiis ad instar episcopatuum quoad paternam populi curam, ad instar etiam hujus Missæ solemnis instituta est *Missa parochialis*, quæ diebus dominicis statuta hora celebratur cum explicatione evangelii.

At quum nihil tam sanctum sit in quod non possint abusus irrepere, postquam ordinaria facta est Missa-

rum privatarum celebratio, variis abusibus isthæc disciplina patuit. Aliquando solus sacerdos, nemine adstante, nec qui responderet, celebrabat. Id Missæ genus primitus instituerunt monachi sæc. IX, deinde et sæculares presbyteri arripuerunt, quod sacri canones vetuerant ob absurdum (Dominus vobiscum — Sursum corda, etc.). Aliquando ad quæstum tot in una Missa consecrabant hostias quot stipendia recepissent. Aliquando pro stipendiorum numero celebrabant tot missas siccas, quæ sacrificii præ se ferebant simulationem, eo quod in iis fiebat oblatio, et recitabantur preces omissis canone et consecratione et sumptione. Quidam dicebant Missas bifaciatas, trifaciatas, etc., scilicet duas pluresve in unam, seu sub uno canone repetebant cæteras orationes tot vicibus quot stipendia accepissent. Sed omnes hos aliosque abusus damnavit Ecclesia.

II. De tempore et loco celebrationis Missarum.

1° *De die et hora.*

V. Disputant auctores an in vetusta Ecclesiæ disciplina licuisset quotidie missam celebrare? Sunt qui putant dominicam, quartam et sextam feriam ab apostolis constitutos dies fuisse; inde sabbatum aliosque dies accessisse. Sunt qui putant jam tum ab apostolorum tempore quotidianam fuisse sacrorum mysteriorum celebrationem, ad quam sententiam videtur inclinare Bened. XIV de sacrif. Missæ lib. III, c. II, 7. Verum quidquid sentiendum sit de vetusta disciplina, certum est a remota antiquitate ordinariam factam esse et quotidianam sacrificii celebrationem. Apud latinos excipitur tantum feria sexta (Parasceve) in signum luctus et tristitiæ; apud græcos tota quadra-

gesima, præter sabbatum, dominicam, et festum Annuntiationis : His diebus utuntur præsanctificatis.

Cæterum aliis diebus omnibus celebratur : solum apud latinos prohibentur sacerdotes celebrare feria quinta et sabbato majoris hebdomadæ, nisi solemnia sacra eo die peragant; et apud græcos presbyteri sæculares quando rei uxoriæ dant operam.

Si feria quinta majoris hebdomadæ occurrat festum Annuntiationis vel S. Josephi, de episcopi licentia plures Missæ celebrari queunt ante solemnem, ut populus præcepto audiendi sacrum satisfacere queat commodius. Ita Bened. XIV.

Nec solum quotidiana facta est Missæ celebratio, sed aliquando licuit sacerdotibus plures eodem die celebrare Missas in diversis altaribus. Sæculo XI hinc arbitrio modus impositus et coercitus est ad tertiam vicem. Demum ne id quod in bonum pietatis permissum est, in perniciem et ad fomitem avaritiæ inclinaret, sacerdotibus vetitum est ne pluries in die Missam celebrarent, excepto die Nativitatis Domini, nisi secus necessitas postularit. Cap. III *Consuluisti*, Inn. III de Missarum celebrat. Hic casus necessitatis ita intellectus est, ut adsit urgens necessitas et ab episcopo probata. Unus ex his casibus admissus in jure certissime est, de parocho qui duarum parochiarum ab invicem procul distantium curam gerit, nec alter reperiri detur sacerdos qui in alterutra celebret, ut die festo populus præcepto satisfaciat. Aliquando a R. Pontificibus utilitatis causa sed rarissimo aliæ hujusmodi et præsertim missionariis conceduntur facultates, dummodo omnis avaritiæ suspicio longe sit.

VI. *Hora* celebrandi sacra mysteria primis Ecclesiæ sæculis fuit nocturna. Hujus disciplinæ causa duplex :

imitatio ultimæ cœnæ Christi Domini, et occultatio christianorum conventuum rabiei persecutorum. At reddita Ecclesiæ pace, celebratio nocturna exolevit, donec interdicta est (Miss. Rom. Pius V. const. *Sanctissimus*) : ergo ab aurora ad meridiem Missæ celebrantur, excepta missa solemni in nocte Nativitatis Domini, et privilegiis specialibus, et singularibus consuetudinibus, et urgentibus necessitatis casibus (Lig. de Euch. dub. v, 345 qq.). Verum pro Missis privatis specialis hora non est determinata; at pro publicis ac solemnibus Missis certæ horæ sunt constitutæ videlicet tertia, sexta, nona, cujus rei indicium adhuc est in officii celebratione.

2° *De loco.*

VII. Vetusta fuit Ecclesiæ disciplina (Bened. XIV de Sacrif. Missæ lib. I, c. I) ad decorem hujus sacrificii sancte instituta sancteque servata, ut in locis divino cultui sacris et in mensis huic usui destinatis illud offerretur. At sicut hujus disciplinæ ratio in decore hujus sacrosancti mysterii posita est (ibid. 3, 6, 7), ita et quoties decori provisum esset, et ex alia parte gravis quædam utilitas vel necessitas spiritualis postulat ut Missa celebretur, admissæ sunt huic regulæ exceptiones.

1° In vetustissima Ecclesiæ disciplina, quando rei christianæ persecutionis gladius minabatur, scimus Missas privatis in domibus, in cœmeteriis, in carceribus celebratas, et aliquando nullo adhibito altari. Lucianus martyr, dum in vinculis esset, celebrandæ Missæ causa proprio usus est pectore tanquam altari, et diaconorum manus ad sacrificandum pro altari adhibuisse Theodoretum legimus.

2° Recentiori disciplina licet lex de celebrando sacro in locis ab episcopo consecratis vel episcopi mandato benedictis inducta sit, inducta pariter lex altarium lapideorum ab episcopo consecratorum, tamen adsunt exceptiones :

Si Missa omnino celebranda sit nec possit in loco prædicto celebrari, licet ex consuetudine sacrificium ubique facere, dummodo locus in quo fit non sit indecorus. Afferri solet exemplum capellanorum exercituum ; parochi cujus Ecclesiæ incendio combusta sit vel incapax ad populum recipiendum ; de tempore terræ motus, pestis, etc.

Præterea de altaribus lapideis receptum est necesse non esse ut sint fixa, sed et portatilia admittuntur, quæ consistunt in petra simili altaris ritu ab episcopo consecrata. Hæc vocatur tabula altaris in canone concedimus, dist. 1ª ; viaticum altare in c. quoniam de privilegiis, in 6°. Ita rei commoditas cum spiritu disciplinæ connexa est.

Orientales loco petræ sanctæ utuntur quibusdam pannis eodem ritu consecratis quo consecrantur altaria, et vocant antimensiæ.

Præterea et inducta sunt privilegia oratoriorum privatorum et altarium portatilium.

Privilegium altaris portatilis ex 5° cap. Quoniam a Bonif. VIII omnibus concessum est episcopis et cardinalibus. Clem. XI, quum animadverteret episcopos quosdam eo privilegio abuto, statuit ne quis episcopus vel cardinalis extra suam domum isto uteretur. Innoc. XIII declaravit sub hac prohibitione non excipi domum ubi episcopus tanquam hospes moraretur, vel ubi cum debita licentia ordinarii degeret. Immo in oratoriis privatis seu capellis episcoporum et cardina-

lium, quibus certus fixusque assignatus est locus in domibus ipsorum, possunt plures quotidie missæ celebrari etiam a sacerdotibus qui non sunt ex familia, licet episcopus vel cardinalis absit; quique, etiamsi de familia non sit, diebus festis ibi Missam audiat, ecclesiastico præcepto satisfecit. Episcopi vero, licet habeant hoc privilegium pro se, non possunt aliis suppeditare. Huic enim juri derogatum est per Trid. sess. 22, in decreto de vitandis et observandis in celebratione Missæ juxta declarationem Cgr. Conc. episcopis jussu Pauli V significatam. Unde hoc privilegium ad unam Sedem Apost. spectat concedendi facultatem.

III. De eo cui jus celebrare, et quo ritu celebrandum.

VIII. Licet omnes sacerdotes seu presbyteri sint idonei ministri sacrificii eucharistici, proindeque valide celebrent quoties celebrant, tamen non omnes jus habent celebrandi. Non loquor hic de morali indignitate ministri, qua jure divino removetur ab hujus sacrificii celebratione, ne se polluat sacrilegio : hæc a theologia consideratur. Sed loquor de disciplinaribus Ecclesiæ dispositionibus, ex quibus independenter ab internis ministri dispositionibus, ab altari hic removetur. Nam licet valida sacramentorum celebratio consistat jure divino, licita tamen eorumdem celebratio ab Ecclesiæ disciplina debet moderari. Illi ergo qui Ecclesiæ præsunt, et ipsi moderantur sacramentorum administrationem.

Quapropter sive ratione pœnæ canonicæ, sive etiam aliis legitimis de causis, possunt impedire quominus sacerdos celebret. Et quidem primis Ecclesiæ temporibus scimus presbyteros nonnisi vel permittente epis-

copo vel cum eo Missas celebrare solitos esse, vel denique non celebrasse sed de ejus manibus Eucharistiam accipiebant (Bened. XIV, lib. II, III, VII).

Deinde vero licet generali disciplina, qua permittitur cuivis sacerdoti Missam celebrare si nihil obstet, arbitrio episcoporum aliquo modo derogatum sit, ita ut non possit unus vel alter episcopus se opponere generali disciplinæ, tamen certum est quod jus presbyterale Eucharistiam offerendi moderandum sit, et etiam in hoc ministerio episcopis presbyteri sint subjecti.

Quod pertinet ad *ritum*, essentialia, ut demonstrant theologi, consistunt in debita materia et forma. At plures Ecclesia ritus adjunxit, plures preces, ut moris sui fuit in administratione sacramentorum, sive ut fidem suam manifestaret, sive ut disponeret ad rectam eorum celebrationem, sive ad decorem ipsius. Ordo precum et cæremoniarum omnium in Missa servandus jamdudum a primis sæculis dictus est liturgia, quod sonet publicum ministerium. Quum ergo sacramentorum celebratio debeat ab ecclesiastica auctoritate moderari, juxta approbatos Ecclesiæ ritus sive quoad vestes sive quoad preces sive quoad cæremonias omnes debet celebrari.

Sed quum una non sit recepta in Ecclesiæ liturgia, quæri hic perbelle posset quam liturgiam in specie sacerdos in celebranda Missæ sequi debeat. Quæstio hæc resolvitur in aliam, videlicet cujus auctoritatis sit liturgias approbare. Hæc autem quæstio solvitur applicando theorias generales quas dedimus de æconomia jurisdictionis ecclesiasticæ ad factum particulare, proindeque esset objectum partis specialis scientiæ nostræ, non autem generalis. (Sed quum videam

ne angustiis temporis pressum non posse delibare plura de quibus tractandum proposui, capta occasione aliquid de hæc quæstione innuam.)

IX. Licet liturgia stricto sensu vocetur ordo precum et cæremoniarum sacrificii, tamen lato sensu dicitur ordo totius cultus publici Ecclesiæ. Proinde quidquid spectat ad praxim cultus religiosi, videlicet loca, supellectiles, officia, imagines, preces, cæremoniæ, et omnes libri qui sacra officia, cæremonias, preces, ritus dirigunt, quales sunt Missales, Rituales, Pontificales, Kalendariæ, Martyrologiæ, Antiphonaria, Psalteriæ, Cantus, etc., ad liturgiam Ecclesiæ spectant. Jamvero liturgia hoc sensu accepta, ut videtis, aliud non est nisi una pars disciplinæ ecclesiasticæ. Disciplina enim ecclesiastica complectitur praxim morum et praxim cultus. Ergo in genere illius est moderari liturgiam in Ecclesia, cujus est moderari disciplinam; atqui ad moderamen ecclesiasticæ disciplinæ seu ad regimen Ecclesiæ duo gradus jurisdictionis a Christo positi sunt : ergo illorum est disciplinam moderari; sed unusquisque gradus in ordine suo, R. P. vel universitas episcoporum cum eo independenter; singuli episcopi dependenter, proinde nil possunt si supremæ auctoritati vel superiori reservatum est.

Applicemus hanc theoriam generalem liturgiæ Missæ. Apostoli pro facta sibi auctoritate plures preces vel ritus tradiderunt adhibenda in Missa. Sunt, v. gr., invocatio S. Spiritus, mixtio aquæ, dominica oratio post consecrationem, fractio hostæ, et alia. Quod probatur ex omnium liturgiarum consensione.

Credibile tamen non est, et verba in specie adhibenda; et cæremonias et ritus speciales quibus hæc generalia servarentur, eos determinasse. Hoc proba-

tur ex ipsa differentia liturgiarum, dum in iis substantialia concordant. Mirum autem non videatur si quædam liturgiæ nomine apostolorum nuncupentur; videntur enim potius ex iis quæ apostoli docuerant concinnatæ, quam ab ipsis apostolis conscriptæ.

Hoc munus apostolorum non erat extraordinarium apostolatus, sed episcopatus ordinarium munus, prout conducebat ad regimen ordinarium ecclesiasticæ disciplinæ. Solum differentia inter apostolos et episcopos in eo stat quod munus apostolatus non erat uni vel alteri Ecclesiæ circumscriptus. Cæterum episcopi post apostolos liturgias composuerunt. Ita apud Alexandrinos Marcus et Nazianzenus; apud Constantinopolitanos Basilius et Chrysostomus. Ipsi hæretici orientales priorum temporum habent liturgias a suis episcopis confectas : sic Nestoriani, Jacobitæ, etc.

Verum jam tum a primis sæculis, præsertim post sedatas persecutiones, curatum est ut liturgiæ essent quo fieri posset modo uniformes. Disciplina liturgica est præ alia omni disciplina maxime cum dogmate connexa, proinde sicuti unum erat dogma, ita curanda una disciplina. Curarunt concilia provincialia in occidente conformitatem liturgiæ ecclesiarum suffraganearum cum Ecclesia metropolitana : inde prodiere quatuor liturgiæ præcipuæ, gallicana, hispanica vel mozarabica, ambrosiana, romana.

Sed R. Pontifices, ut patet ex epistola Inn. I. quæ refertur c. 11. distinct. 11, timentes ne ob diversitatem liturgiarum hæretici possent occasionem ampliorem sumere præscindendi sinum Ecclesiæ, pro sua providentia curarunt, sive jure primatus, sive jure patriarchatus et Ecclesiæ matricis in ecclesias occidentales, ut liturgia romana reciperetur, ut factum est

sub Pippino et Carolo Magno in Galliis, et sub Gregorio VII in Hispaniis. Ecclesia vero græca in constantinopolitanæ ecclesiæ liturgiam cessit, et proinde secuta est liturgiam Basilii et Chrysostomi.

Hoc statu rerum, S. Pius V, anno 1570, coherenter ad ea quæ statuta erant a Trid. sess. 25 de Indice librorum, Missale correxit et proposuit omnibus ecclesiis, facta libertate retinendi ritus vetustos, vel a R. S. C. in sua institutione probatos, vel longa 200 annorum consuetudine assidue observatos. Hac facultate nonnulli usi sunt, prout, v. gr., ordo Prædicatorum : alii vero communiter, exceptis græcis qui pristinos suos ritus positiva R. S. C. voluntate observarunt, omnes liturgiam romanam susceperunt. Ex hoc videatis qua liturgia sacerdos Missam celebrare debeat. Ita quidem in genere, in specie vero, ubi liturgia romana neglecta est, summa prudentia præsertim a presbyteris hac in re procedendum esset, ne impediant tumultu illum reditum quem suaviter ipsa Dei providentia disponit.

IV. De præcepto Missam celebrandi vel audiendi.

X. Jure divino sacerdotali ordini præceptum esse ut Missam celebret dubitari nequit. Clara sunt Christi verba : *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus ipsum jussisse ut apostoli aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum patet ex sess. 22 Trid. de sacrif. Missæ can. 2°. Tota ergo disputatio reducitur ut videamus quandonam singuli presbyteri ad celebrandum teneantur. Et quidem si mero jure divino quæstio finienda esset, quum hic sermo sit, non de præcepto negativo, sed de positivo, quod, licet semper obliget, non tamen pro semper, videretur quod tunc

urgeat hoc præceptum quando vel honor et cultus Deo debitus, vel obsequium erga auctoritatem ecclesiasticam præcipientem, vel utilitas proximis impendenda, præsertim in sacramentorum administratione, celebrationem istam postularet. Sed hæc potius ad moralistas : nostrum potius inquirere quale præceptum detur ab Ecclesia in ordine ad hanc Missarum celebrationem, ut inde deducamus qualis obtineat externa Ecclesiæ œconomia quoad istud. Ergo jus commune distinguit inter simplicem sacerdotem et sacerdotes qui speciali aliquo titulo ad hoc officium teneantur.

Quoad simplices sacerdotes, Trid. sess. 23, c. 14 : « Curet episcopus ut sacerdotes saltem diebus dominicis et festis solemnibus celebrant. » Inn. III in cap. Dolentes de celebratione Missarum, improbat eorum negligentiam qui vix quater in anno celebrabant... Ceterum licet ardenter cupiat Ecclesia frequentem, imo quotidianam hujus sacrificii celebrationem fieri ab omnibus sacerdotibus, tamen absolutum præceptum, præsertim sub gravi, non potest demonstrari. Nam decretalis Innocentii, dum improbat infrequentem celebrationem, non præscribit dies celebrandi. Dubitant an illud *curet* Conc. Trid. vim habeat præcepti, et posito etiam quod eam habeat, an obliget sub lethali. Quæ quum ita sint, concludi debet Ecclesiam remisisse ad curam episcopi ut diebus saltem solemnibus et dominicis sacerdotes Missam celebrent : vitandos autem esse duos excessus, sive eorum qui dicunt sacerdotes legitime non impeditos iis diebus omittentes sacri celebrationem mortaliter peccare, sive eorum qui dicunt venialiter tantum peccare sacerdotem qui nunquam per annum celebret.

Quod vero pertinet ad sacerdotes qui speciali aliquo titulo ad hujusmodi officium tenentur, statutum est :

Tales sunt omnes sacerdotes *curam animarum* habentes, qui obligantur ad Missæ celebrationem diebus dominicis et festis. Hoc patet ex Trid. sess. 23, c. 8 : ibid. de observandis et vitandis in celebratione Missæ, et sess. 24, c. 4 et 7, ubi vult ut in dominicis festisque majoribus parochus inter missarum celebrationem verbum Dei populo exponat, sive quia sess. 24, c. 1, vult ut pro ovibus suis sacrificium offerant, quod Cgr. Conc. declaravit dominicis omnibus festisque faciendum.

Præterea *canonici* aliique sacerdotes cathedralibus collegiatisque ecclesiis addicti : Honorius III in c. *Quum creatura* de celebratione Missæ, et Clem. V, in clementina 1ª de celebratione missarum, statuunt ut in omnibus cathedralibus et collegiatis ecclesiis una cum divini officii celebratione Missa quotidiana conventualiter celebretur. Hæcque Missa debet pro benefactoribus applicari, ut patet ex decretis Cgr. Conc., quæ dum urget hoc præceptum, solet tamen onus remittere atque contrahere ad solos dies festos, si sint inopes presbyteri.

Præterea ii tenentur qui singulari *beneficii* vel *capellaniæ* titulo ad hujusmodi officium adstringuntur, vel stipendium pro Missa celebranda acceperunt.

XI. Quod vero pertinet ad audientiam populi, unicuique notum est quomodo festorum observantia in abstinentia ab operibus servilibus et in auditione Missæ consistat. De iis late dicunt moralistæ. In re nostra observandum tantum quod juxta veterem disciplinam iis diebus singuli debebant accedere ad

ecclesiam parochialem, ut ibi adessent sacrificio quod a parocho celebrabatur, et sic præcepto audiendi Missam satisfacerent. At ob privilegia Patribus mendicantibus concessa, paulatim obtinuit ut fideles ubicunque Missam audirent in festis, hoc præceptum adimpleturi. Trid. sess. 22. de observandis et vitandis in celebratione Missæ : « Moneant (Ordinarii) etiam eumdem populum ut frequenter ad suas parochias, saltem dominicis majoribusque festis, accedant ; » et c. III. sess. 24 : « Moneatque episcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei. » Verbum autem divinum vult declarari populo ab ipso parocho *inter missarum celebrationem*, ut videre est c. VIII, sess. 22, et c. VII, sess. 24 de Reformat. Hæc autem non sunt disciplina recepta tanquam necessitatis absolutæ, sed suasionis. Vide Bened. XIV de syn. diœc. lib. XI, c. XIV, 7 qq.

De eucharistia ut sacramento.

XI. Satis de Eucharistia in quantum sacrificium est, seu quoad actum sacrum quo conficitur ; sed quum transsubstantiatio non sit momentanea, sed ordinetur ad permanentem existentiam, inde potest quoad se considerari in disciplina Ecclesiæ etiam seorsim ab actu quo conficitur. Sub hoc respectu a disciplina ecclesiastica consideratur non solum tanquam cibus quidam spiritualis hominum refectioni destinatus, sed etiam tanquam objectum cultus christianorum.

Inde :

1° Jam tum ab antiquitate in vase ad instar columbæ vel turris elaborato, et penes altare aut supra

baptisterium collocato, et aliquando ipsis in domibus sacerdotum vel in capsulis ligneis penes domos fidelium, consuevit religiose asservari sub specie panis, sive ad usum spiritualis alimoniæ, sive ad venerationem.

Sed liberior isthæc disciplina retinendi Eucharistiam domibus etiam fidelium coercita est quum amplius non subsisterent speciales illæ circumstantiæ quæ illam ob spiritualem populi christiani necessitatem induxerunt. Imo nec in omnibus ecclesiis hodie licet eam retinere, sed solum in parochialibus, regularibus et cathedralibus; cæteræ indigent privilegio apostolico. Demum, quum Ecclesiæ fides sit quod præsentia realis perduret quoad species non corrumpantur, ne irreverentiæ exponatur sacramentum, vel fraudetur pietas fidelium bono spirituali, statutum est ut singulis quatuordecim diebus Eucharistia in sacrario vel ciborio asservanda renovaretur. Nota quod usus antiquissimus servandi Eucharistiam potissimum erat directus pro communione infirmorum.

2° Præter asservationem receptum est in ecclesiasticam disciplinam ut Eucharistia publice in supplicationibus circumgestetur, populo adoranda exponatur, cum illa populo benedicatur. Circumgestationis usus antiquissimus est : de illo monumenta habemus pro disciplina Ecclesiæ gallicanæ et hispanicæ jamdudum a sæc. VI vel. VII.

Sed quum sæc. XI Berengarius et illius fautores contradixerint transsubstantiationi, cura Ecclesiæ fuit ut fidelium cultus magis magisque erga hoc sacramentum excitaretur. Hac de causa Urbanus IV instituebat solemnitatem corporis Christi, et inde usus circumgestandi publice sacramentum frequentior : lapsu

temporis invaluit ut sacramentum ipsum intra sphæram cristallo cinctam (vulgo ostensorium vocant) includeretur, et ita solemniter exponeretur populo adorandum; vel cum illo populus solemniter benediceretur; vel sacramentum in pixide inclusum et velamine obtectum suo, aperto solum sacrario, populi oculis subjiceretur, vel alio modo quo hostiæ sacræ aspectus impediretur.

In hujuscemodi vero inducenda disciplina considerandum erat ut omnia decori et cultus hujus sacramenti responderent; proinde statutum est quod si sermo sit de *publica* hujus sacramenti expositione, ea non debeat fieri nisi publica causa per episcopum probanda. Causa autem est utilitas Ecclesiæ. Hæc episcopi auctoritas extenditur ad omnes suæ diœcesis ecclesias, etiam exemptas. Si sermo sit de *privata*, sufficit venia rectoris ecclesiæ, et causa privata.

§ II. DE EUCHARISTIA IN ORDINE AD ILLIUS PARTICIPATIONEM.

Tria propono expendenda de communione Eucharistiæ : videlicet.

1° Cujus sit eam ministrare?

2° Quorum sit eam percipere?

3° Quando et quomodo percipienda?

Cætera enim quæ expendi possent in hac materia, non videntur respicere publicam et externam Ecclesiæ disciplinam et œconomiam in ordine ad participationem, sed potius theologiam vel dogmaticam vel moralem vel mysticam seu asceticam.

I. Cujus sit eam ministrare.

XII. Natura singularis hujus sacramenti, quod non consistit in actu transeunti quum sumitur, sed in re permanenti, sicut facit ut illius confectionem possimus

ab ejusdem administratione distinguere, ita præbet fundamentum ad distinguendum ministrum conservationis Eucharistiæ a ministro ejusdem distributionis seu administrationis. Et sane disciplina ecclesiastica receptum scimus aliquando admissos fuisse ad illius administrationem, qui non erant hujus sacramenti consecrandi ministri : vice versa iis aliquando prohibitum fuisse hoc sacramentum administrare, quibus permissum erat conservare.

Dixi aliquando *admissos fuisse* ad hujus sacramenti administrationem qui non erant ministri illius consecrationis. Et quidem sine ulla difficultate : nam quum administratio hujus sacramenti non sit sacramentum, nullo modo poterat requiri habilitas personalis ut valida foret. Tantum ad ejus licitam administrationem jus divinum requirere videbatur ut ab iis ordinatio fieret, qui essent ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Non prohibebat vero jus divinum ut extraordinario posset aliquo modo horum ministrorum defectui supplere, vel alia justa causa ab alio administrari. Inde videmus primis Ecclesiæ sæculis, præter Presbyteros, ad hujusmodi administrationem et diaconos admissos, imo et inferiores quoque clericos, et laicos aliquando, imo permissum etiam fuisse laicis ut suis manibus se communicarent.

Diaconi quidem veluti de munere suo et ratione sacræ ordinationis id præstabant, qua constituebantur veluti coadjutores et administri presbyterorum, ut eos, quoad ipsorum ordo sineret, in sacramentorum celebratione aliisque functionibus adjuvarent. Non dissimili modo diaconi admittebantur ad prædicandum et baptizandum. Sed hujusmodi munus frequentius et veluti quotidie committebatur diaconis, primis sæculis,

quando et minor erat presbyterorum numerus, et incommode ab uno presbytero communio sub utraque specie poterat administrari. At cessante communione sub utraque specie, ita rarum evasit hujusmodi diaconorum officium, ut nonnisi urgente necessitate iis possit committi.

Inferiores autem clerici, et multo magis laïci, nonnisi urgente necessitate, et nunquam ex officio et vi ordinis sunt ad hujusmodi munus deputati. Ita scimus sævientibus persecutionibus potissimum liberam factam fuisse cuivis fideli facultatem secum asportandi domum Eucharistiam, ut ea pro opportunitate se reficeret. Verum reddita Ecclesiæ pace, paulatim hæc disciplina cessavit : vix restat extraordinarium et infrequens diaconorum in hac re munus, et vix aliquod reperire est exemplum similis facultatis laicis concessæ. S. Pius V Mariæ Stuartiæ Scotorum reginæ, quum ab Elisabetha Anglorum regina catholicis infensissima carceribus detineretur, concessit ut manu propria Eucharistiam sumeret.

Aliquando e contra dixi *prohibitos esse* ab hujus sacramenti administratione, qui essent ministri illius consecrationis. Eadem causa quæ suasit ecclesiasticam disciplinam ut non omnes presbyteros admitteret ad baptismatis collationem, sed esset hæc functio muneris parochialis, eadem vel similis suasit ut Eucharistia nonnisi a parochis vel presbyteris de parochi licentia administraretur. Ut enim quidam ordo servaretur in sacramentorum administratione, postquam parochiæ institutæ sunt, voluit Ecclesia ut paternæ parochorum sollicitudini sacramentorum omnium, quorum administrandorum capax erat ordo presbyteralis, collatio et dispensatio committeretur.

Et quidem stricte hoc jus aliquando servatum est. Clementina 1ª, de privilegiis, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, et Sedi Apostolicæ reservata, prohibet regularibus ne sine speciali parochorum licentia Eucharistiam præbeant. Verum hodie contraria consuetudine inducta, omnes presbyteri Eucharistiam præbent, nisi a sacris ministeriis suspensi sint, et parochorum jus ad communionem pascalem et viaticum redactum est.

II. Quorum sit eucharistiam recipere.

XIII. Ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, qua solebant patres nostri immediate post baptisma confirmationem administrare et S. Eucharistiam, omnes indiscriminatim sive adulti sive infantes admittebantur ad S. communionem. Nec probabiles deerant hujus disciplinæ causæ, ut ait Conc. Trid. : nam quum ex una parte frequentior esset adultorum quam puerorum numerus ad baptisma suscipiendum, ipsa numeri paucitas efficiebat ut in minori numero non posset evitari.

Deinde vero quum vetusta Ecclesiæ disciplina permitteret in communione utramque speciem, infantibus poterat dari Eucharistia sub specie vini, quam commodius deglutirent. At postquam ab usu communionis recessit penes latinos calix consecratus, illiusque usus pro non conficientibus abrogatus est, per consequens nec infantibus fuit ministratus.

In græca Ecclesia, ubi etiamnum servatur species vini, servatur et communio infantium sub specie vini immediate post baptisma. At Latini, quorum immutata disciplina, non amplius immediate post baptisma Eucharistiam baptizatis omnibus ministrarunt, *pueros*

ad sacram synaxim amplius non admiserunt, sed voluerunt ut talem haberent ætatem qua possent cibum materialem a cibo hoc sacramentali distinguere. Hoc episcopi et parochi judicio æstimandum est. Pari de causa removentur *perpetuo amentes* a nativitate.

Adulti licet ad Eucharistiam admittantur, tamen aliquando removentur, videlicet 1° ob evidentem et *publicam indignitatem* eorum qui accedunt, 2° ob *irreverentiæ periculum*.

1° Igitur quum Ecclesia credat hujusmodi sacramentum esse unum de iis quæ dicuntur vivorum, omnes a peccatis lethalibus irretitos vult ab hac mensa cælesti remotos. At quum Ecclesia interiora hominum non cognoscat, inde satis putat munere suo fungi, si paternis et generalibus adhortationibus deterreat peccatores ne hoc sacrilegii crimine se commaculent. At si hoc non obstante peccator ad hanc mensam accedat, et ministro illius indignitas nota sit, docet Bened. XIV, in operib. de synodo et de sacrificio, cum prudentia esse procedendum. Vult ut distinguamus inter *occultum* et *publicum* peccatorem, et inter *publicam* et *occultam* hujus sacramenti administrationem. Publicus peccator semper arcendus, et talis est si notorietate *juris* vel *facti* illius peccatum sit omnibus manifestum. Ita, et quum vigeret publica pœnitentia, qui in eo stadio versabantur, publice a sacra communione arcebantur.

At vero si privatus et occultus, non ita si in publico petat, ne illius famæ ad quam jus habet derogetur; bene vero si petat occulte, dummodo ministranti ex sacramentali confessione peccatum non innotescat. (Si nosceret ex alio titulo etiam præter sacramentalem confessionem, posset illum repellere: sed Bened. XIV

vult ut hunc dicat petenti, unde ipse rem compertam habeat præter sacramentalem confessionem, et putat hunc casum difficilis executionis.) — 2° Ob periculum irreverentiæ, infirmis, quando adsit periculum vomitus; energumenis, nisi sacerdos ipsis ab episcopo præpositus id tuto prudenterque fieri posse judicaverit. — Tota hæc disciplina fundatur in dignitate sacramenti.

III. Quomodo et quando suscipiatur.

XIV. Olim fideles qui sacrificio intererant, quotidie, atque, ut plurimum, sub utraque specie panis et vini, Eucharistiam accipiebant. At vero quotidiana isthæc assiduitas sacrificiis, quotidiana isthæc communio, languescente populi christiani charitate, obsolevit. Tunc Ecclesia vidit opportunum præceptum ut quibusdam præcipuis diebus reciperetur. Primum *ter in anno*, hoc est in Natali Domini, in Paschate et in Pentecoste, prout habemus jam tum ex monumentis VI sæculi. Demum in Conc. Later. et Trid. statutum est ut saltem *in Paschate* Christiani omnes Eucharistiæ sacramentum susciperent, qui ad annos discretionis pervenissent. Tempus paschale a dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis protrahitur; quique iis quindecim diebus præcepto non satisfacit, pœnis ecclesiasticis coercetur. Cæterum Ecclesia cupit ut fideles frequenter ad hoc sacramentum accedant, et religiose observat ut illud morituris potissimum deferatur, ut illo viatico ad aliam vitam muniantur. Imo, eo in casu indulget ut administretur etiam *noctu*, etiam *feria VI parasceve*, etiam *non jejuniis*, etiam *extra ecclesiam*.

Ad *modum* quod attinet, primis Ecclesiæ sæculis

sub utraque specie et intra Missarum celebrationem Eucharistia porrigebatur. Hoc fiebat ad strictiorem imitationem institutionis hujus sacramenti, sed non lege necessitatis, proinde ex alia parte videmus usum asservandi Eucharistiam vel ad infirmorum vel ad domesticam communionem : et scimus Ecclesiam credidisse unum et indivisum Christum sive sub utraque, sive sub una specie contineri, proinde aliquando etiam licebat ab una specie abstinere jam tum a primis sæculis, ut patet sive ex aliis capitibus, sive ex communione abstemiorum.

Exceptiones lapsu temporis fiunt frequentiores et ordinariæ. S. Cyrilli temporibus, confluenti magnæ advenarum multitudini Eucharistiam deposcenti extra Missam cæpit administrari Eucharistia, quum impossibile esset toties Missam celebrare, quoties deposceretur sacramentum. Ab orientali mos hic traductus est in occidentalem Ecclesiam, quæ morem illum quotidie frequentat, licet desiderium Ecclesiæ illud esse videatur, ut hæc communio fiat tempore celebrationis Missæ quo uberius fideles de sacrificio participent.

Quod vero pertinet ad communionem sub utraque specie, hæc variis subjecta est incommodis : licet semper retenta fuerit in Ecclesia Orientali, paulatim tamen obsolevit in Occidentali, adeo ut sæc. XII et XIII spontanee transierit in desuetudinem universalem. Sub finem sæc. XIV, Petrus Dresdensis et Jacobellus Misnensis, quos excepit Hus sæc. XV ineunte, incipiunt decertare pro communione sub utraque specie, quasi Ecclesia vel ignoraverit vel contempserit leges Domini.

Rebus sic stantibus, habitum est sæc. XV Conc. Constantiense : aut debebat revocare veterem ritum,

sed tunc Ecclesia visa fuisset errata corrigere; aut permittere inæqualem ritum, sed nec solvisset quæstionem, nec abstulisset hæreticis occasionem disceptandi et turbandi fideles. Sive uno sive altero modo visa fuisset obsecundare errori dogmatico de non integra præsentia cum quo jungebantur instantiæ hæreticorum. Potius duxit optimam confirmare inductam disciplinam, et per leges habere. Probavit Trid. sess. 21, can. 2. Vid. Bened. XIV.

CAPITUL. IV.

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

I. Vita supernaturalis, quæ nascitur per baptisma, adolescit et roboratur per confirmationem, saginatur per Eucharistiam, non est christiano inamissibilis. Nam si contingat christianum in peccatum prolabi, vita hæc, si veniale fuerit, attenuatur, si mortale, extinguitur omnino. Quum ergo baptisma ex Christi institutione iterari nequeat, aut de salute christiani peccantis foret desperandum, aut aliud medium ex misericordia Dei paratum est, quo amissam vitam possit recuperare. Placuit misericordiæ Dei hoc medium suppeditare, præbendo Christianis delinquentibus pœnitentiæ locum; imo, elevando pœnitentiam ad sacramentum, quod nos sacramentum pœnitentiæ vocare solemus, quæ in vita spirituali secundæ post naufragium tabulæ comparatur.

At divinæ justitiæ ratio (Conc. Tr. sess. 14. c. 8) exegit ut aliter reciperentur in gratiam qui ante baptisma per ignorantiam deliquissent, aliter qui a peccatis et dæmonis servitute liberati, et accepto Spiritu S. dono, scientes, templum Dei violare et spi-

ritum S[um] contristare nos formidassent; aliter qui Ecclesiam nusquam ingressi essent, aliter qui jam in Ecclesiæ filios et subditos essent cooptati. Ergo Christus, qui ad instar cujusdam beneficæ ablutionis instituebat baptisma, ad instar cujusdam actus judicialis instituebat pœnitentiam. Proinde qui ad baptisma contenderent, merum beneficium expeterent; qui pœnitentiam velut rei simul et accusatores ante tribunal sacerdotum se sisterent, ut per eorum sententiam non semel ut in baptismate, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerent, possent liberari : qui baptisma susciperent nova prorsus in illo efficerentur creatura (Trid. ibid. c. 2), plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequerentur; hanc vero novitatem et integritatem non consequerentur per pœnitentiam nisi magnis fletibus et laboribus et satisfactionibus, nec ita in eo vi sacramenti pœnam remitti, ut universa etiam pœna condonetur.

Ex his quæ desumpsi ex eo Conc. Trid. ut naturam hujus institutionis ad mentem vestram revocarem, videtis sermonem esse de sacramento quod judicium est; proinde minister est *judex*, subjectum est *reus* seu delinquens; *instrumenta* seu probationis tabulæ sunt ipsa rei confessio; *forma* est sententia; satisfactiones quæ reo imponuntur, sunt *pœnæ;* qualitas et quantitas et numerus criminum ex una parte, et rei dispositiones, quales ex actibus pœnitentis ipsius eruuntur, quasi *objectum* sunt hujus judicii, quorum respectu deliberatur sententia, infliguntur pœnæ : unde theologis exploratum est quod materia remota, uti dici solet, hujus sacramenti, peccata; proxima vero quasi materia ex actibus pœnitentis, videlicet

cordis contritione, oris confessione et operis satisfactione constituatur : iis enim accedens sacerdotalis absolutio sacramentum perficitur.

Hæc quum tanta insit relatio inter ordinem criminalium judiciorum et hujus sacramenti administrationem, relictis theologiæ quæstionibus dogmaticis quæ vobis notæ sunt, puto perbelle me expedire posse ea quæ pertinent ad hujusmodi sacramenti administrationem prout in externa Ecclesiæ disciplina posita est, si theorias judiciorum præsertim criminalium coordinabo ad hujus sacramenti administrationem, et ita aliqua ex parte occurram brevitati temporis quod superest ad cursum harum lectionum explendum, quæ non sinet me de judiciis ecclesiasticis locuturum.

Analysim ad duo capita restringam, quæ præcipua sunt in re nostra.

1° Ad ministrum seu judicem,

2° Ad pœnas quæ a reo subeundæ sunt.

I. De ministro hujus sacramenti.

II. Satisfeci primæ investigationi eam solvendo ex ipsa natura hujus sacramenti. Nam hujus sacramenti natura est ut sit judicium, ex quo consequitur in hujus sacramenti ministro requiri facultatem ordinis ad conficiendum sacramentum, facultatem jurisdictionis ad judicandum, proinde in eo concurrere debere idoneitatem ministri et potestatem judicis, sicuti in hujus sacramenti conceptu actus sacramentalis est actus judicialis, et viceversa.

Hoc posito dixi.

Solos sacerdotes esse ministros hujus sacramenti, quibus dictum est. « *Quorum remiseritis peccata..* .»

Sed hujusmodi facultas licet amplissima, et caracteri sacerdotali jure divino innata, et cujus virtute sacramentum conficitur quoties conficitur, non potest tamen ab omnibus sacerdotibus exerceri. Ratio est quia ad sui exercitium desiderat jurisdictionem, sine qua judicium non fit, ex ordinatione autem dum sacerdotes omnes obtinent jure divino hujusmodi potestatem ordinis remittendi et retinendi peccata, et quidem illimitatam, illimitabilem et inextinguibilem, nullam acquirunt jurisdictionem in Ecclesiâ, sine qua jurisdictione nec pro uno casu nec cum quolibet limite potest exercere. Etiam in ordine naturæ habemus exempla harum facultatum, quæ exerceri statim non possunt. Naturalis est homini facultas loquendi, ratiocinandi, ambulandi; attamen non statim loquitur, ratiocinatur, ambulat, sed quando ex naturæ ipsius evolutione, extrinsecis accedentibus adjunctis, homo loquetur, ratiocinabitur, ambulabit, vi illius pristinæ et innatæ facultatis loquetur, ambulabit, etc. Posito ergo quod facultas illa ordinis exerceri potest pro mensura jurisdictionis quæ illi accedit, plures confingi possunt combinationes quoad ejus exercitium.

1° Si illimitata et illimitabilis illa potestas ordinis conjungitur cum supremo et illimitato ac illimitabili gradu jurisdictionis, prout accidit in R. P. obtinet completum suum exercitium ex omni parte.

2° Si conjungitur cum potestate episcopalis jurisdictionis quæ jure divino constituta est, et jure ecclesiastico ad quamdam partem christianæ societatis determinata est, obtinet quoad illam partem dominici gregis suum exercitium plenissimum, sed limitabile, prout limitabilis est ab altiori auctoritate jurisdictio inferioris auctoritatis : de facto limitata est, stantibus

reservationibus quas pro quorumdam graviorum criminum coercitione R. P. fecerunt.

Potestas quasi episcopalis quorumdam prælatorum habentium separatum territorium, vel prælatorum regularium quoad suos subditos respective, episcopali in multis et fere in omnibus comparatur.

3° Si conjungitur cum nulla jurisdictione, tantum potest exercere quantum committitur. Committitur autem : — 1° Omnibus presbyteris ab ipso jure communi in casu necessitatis, seu in periculo mortis, sive ulta limitatione ; — 2° Pœnitentiariis majoribus singularum diœcesium ratione numeris, et ordinario proinde committitur tota illa quæ jure proprio et originario est in singulis episcopis, quorum aliquo sensu sunt vicarii generales pro ea parte jurisdictionis quæ forum internum respicit ; — 3° Aliis presbyteris committitur affecta reservationibus non tantum pontificiis, sed et episcopalibus ; at non omnibus presbyteris, sed 1° ordinario quodam modo parochis, quorum, ut suo loco dictum est, munus ordinarium est omnium sacramentorum administratio pro plebe sua, quæ saltem ordinarie administranda presbyteris commendantur ; 2° extraordinario quodam modo, seu ex delegatione quæ potius personis inhæret quam numeri, omnibus qui specialiter ad hoc officium ab episcopo sunt approbati.

II. De pœnis in pœnitentiæ sacramento inflictis.

III. Ipsa judicii de quo agitur natura, videlicet quod sacramentum sit, efficit ut dum cætera judicia criminalia ordinata sint ad punitionem rei, hoc ordinatum sit ad rei justificationem, et quidem non veram justificationem extrinsecam, qua reus innocens coram so-

cietate declaretur, sed veram et intrinsecam, qua peccator cum Deo reconcilietur. Jam vero placuit Deo novam hanc post baptisma justificationem iis concedere qui laboriosis operibus punirent in se quod peccando deliquerunt, et sic gratia Dei præventi, divinæ justitiæ satisfacerent, nec ita peccata dimittere, ut remissa culpa universa etiam pœna dimitteretur, sed aliqua pœnæ temporalis plerumque solvenda remaneret quæ nonnisi magnis fletibus et laboribus redimi posset.

Inde est quod, licet hujusmodi judicium non ad punitionem, sed absolutionem rei institutum sit, tamen et in eo pœnæ infliguntur et a reo debent sustineri ad vindictam criminis, ut divinæ justitiæ satisfiat.

Verum hujusmodi pœnæ diversissimæ sunt ab iis quæ in cæteris judiciis criminalibus usurpantur : nam illæ in bonum et profectum ipsius rei diriguntur primario, hæ in bonum societatis : unde illæ sponte ab ipsis reis exquiruntur, hæ in invitos infliguntur ; istæ plerumque nullam rei emendationem obtinent, illæ ad hanc emendationem institutæ sunt : ut ergo ab istis distinguerentur, singulari nomine *pœnitentiæ* dictæ sunt, et possunt dici : *Pœnæ temporales peccatori dolenti et confesso clavium potestate injunctæ ad compensandam injuriam Deo pro peccatis illatam, et ad redimendam pœnam graviorem eisdem peccatis promeritam.*

Objectum harum pœnarum triplex potissimum assignari solet, videlicet *oratio, eleemosyna, jejunium* : nam hæc omne genus satisfactionis comprehendunt. Oratio enim comprehendit quidquid ad divinum cultum et divini honoris augmentum, pertinet, seu omne genus orationis, nempe quodlibet opus quod directe dirigitur ad Deum. Ad jejunium pertinent omnes car-

nis afflictiones, malorum tolerantia, temperantia a jocis et voluptatibus etiam licitis, propriæ voluntatis submissio, et omnia genera mortificationum. Ad eleemosynam vero revocantur omnia opera tum corporalia tum spiritualia misericordiæ. Scite in hanc rem adnotat Catechismus rom. de pœnit., § 105, 106, 107 : « Nil convenientius hisce esse potest ad extirpandas omnium peccatorum radices ; nam quum omne quod in mundo est, concupiscentia carnis sit, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, nemo non videt hisce tribus morbi causis totidem medicinas, priori scilibet jejunium, alteri eleemosynam, tertiæ orationem, rectissime opponi. Præterea Deum oratione placamus, proximo eleemosynam satisfacimus, nos ipsos jejunio castigamus. » Uno verbo, quum hæc tria, nempe *oratio*, *eleemosyna*, *jejunium*, opponantur triplici peccatorum fonti, videlicet superbiæ, avaritiæ, concupiscentiæ, et comprehendant exercitium charitatis in Deum, in proximos, in nosmetipsos, lata significatione comprehendere id omne videntur, quod pro peccatorum satisfactione præstare possumus.

IV. *Tempus* quo hujusmodi pœnitentia peragenda est, juxta antiquam Ecclesiæ disciplinam, communi lege præveniebat absolutionem, quæ non dabatur ordinario nisi completa pœnitentia : dixi ordinario, quia non desunt exempla absolutionis datæ etiam ante perfunctos et expletos pœnitentiæ labores, vel 1° ad instantias martyrum, 2° ob instans vitæ discrimen, 3° ob instantem persecutionem, 4° quando insignis boni procurandi spes affulgebat, v. gr., ex hæresi vel schismate alios secum ad Ecclesiam conducebant, 5° ob singularem animi dolorem et fervorem, in implendam pœnitentiam.

At differens est hodierna disciplina, quæ jamdudum invaluit in Ecclesia tum græca tum latina, ut peccatoribus contritis et confessis absolutionis beneficium impertietur antequam satisfactionem peregissant. Lamentantur quidem Jansenistæ hanc disciplinæ sacramentalis immutationem. Verum quum satisfactio, licet pars sit sacramenti pœnitentiæ, tamen nec jure divino nec natura sacramenti exiget ut absolutioni anteponantur, non est quare conquerantur. Agitur ergo de una ex iis disciplinis quas, salva sacramentorum substantia, Ecclesia statuit vel immutat (Trid. sess. 21. c. II), prout suscipientium utilitati vel ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, locorum varietate, magis expedire judicaverit.

Cæterum, quemadmodum in veteri disciplina aderant exempla absolutionis ante impletam pœnitentiam, ita et hodie non prohibetur sacerdotibus ut aliquando pœnitenti satisfactionem ante absolutionem implendam injungant, si pœnitentis emendationi et saluti expedire judicaverint.

Modus sustinendi hujusmodi pœnitentias alius est publicus, alius privatus : unde et ipsa pœnitentia vel publica vel privata accidit.

Licet enim pœnitentiæ, ut antea positum est, non sint institutæ ad publicum societatis exemplum, sed ad emendationem delinquentis, proinde ex sua natura non requirant ut in societatis notitiam deveniant, tamen aliquando per accidens ipsa rei emendatio exiget ut publicæ evadant, vel quia superbia rei conterenda sit, vel quia scandalum ex publicis et notoriis gravibusque criminibus ortum sit, ex Dei præcepto reparandum.

Verum itaque hæc pœnitentiæ species non semper eodem modo gubernata est.

V. *Publica* enim *pœnitentia*, quæ a tempore apostolorum usque ad Montani hæresim secundo sæc. natam, nec tempus nec modum determinatum habebat, sed episcoporum arbitrio et prudentiæ permissa erat; quando autem Montanistæ cœperunt docere Ecclesiam non habere potestatem remittendi quædam et graviora crimina, et post eos Donatistæ circa medium sæc. tertium Montanistis adjuncti sunt, sensim severissima facta est disciplina, et publica pœnitentia solemni quodam modo determinata est, ut ipsa publica ecclesiæ disciplina exprimeretur potestas Ecclesiæ remittendi etiam graviora flagitia, et simul occurreretur dicteriis schismaticorum, qui ecclesiam de nimia reconciliandi lapsos facilitate criminabantur.

Institutus ergo est ordo laicali communione inferior, in quem *pœnitentes* redigerentur, qui aliquo sensu præstaret conditione illorum qui vel in Ecclesiam nunquam essent coaptati, vel ab ecclesiastica communione separati fuissent: hi vel nunquam acquisiverant jura christianæ communionis, vel iis ob contumeliam aut ob gravitatem criminis erant privati; sed suberat communi christianorum communioni, quatenus exercitium eorumdem jurium vel imminutum vel ablatum esset, ita ut, licet pœnitentes essent christiani, in conditionem catechumenis communem vel etiam inferiorem redigerentur. Quousque igitur stetit hæc publica et solemnis pœnitentia, in tres ordines distinguebantur christiani, videlicet in *clericos*, *laicos* et *pœnitentes*.

Pœnitentium quatuor erant stationes. Primus gradus vocabatur fletus, προσκλαύσις, alter auditio, ἀκρόασις, tertius substractio, ὑπόπτωσις, quartus consistentia, σύστασις. — Flentes extra portam templi, sub dio vel

in porticu exteriori, cilicio induti, et cinere conspersi, ad ingredientium genua advolvebantur, eorumque preces lacrymis exspetebant.

Audientes quasi novum catechumenatum inire cogebantur (nam etiam inter catechumenos gradus erat audientium); catechumenis permixti in vestibulo vel intra septa Ecclesiæ stabant, ut audirent lectionem, concionem, interpretationem scripturarum, qua finita, solemniter dimittebantur. Indigni reputabantur qui cum cœteris fidelibus orarent, digni tantum qui cum catechumenis de primis doctrinæ christianæ elementis erudirentur, quæ dedidicesse peccando monstraverant.

Substrati proprio et stricto sensu vocabantur pœnitentes (ita stricto sensu vocabantur catechumeni *genuflectentes*, quorum gradus aliquo modo huic pœnitentium gradui respondebat; ad preces enim admittebantur, et genuflexi accipiebant manuum impositiones, pro iis orabatur, etc.). Nam flentes pœnitentiam efflagitabant. Audientes ad pœnitentiam per auditum fidei parabantur. Substrati pœnitentiam agebant. Hi intra Ecclesiæ septa, sed in loco a fidelibus sejuncto, id est, non ultra ambonem morabantur; diebus synaxis et jejunii coram universo populo in faciem se prosternebant, et episcopus una cum sacerdotibus manus eis imponebat, et certas recitabat orationes precesque expiatrices, quibus auditis dimittebantur.

In hoc gradu diutius versandum erat, et peccata per multos labores et varia pœnarum genera diluenda, quæ ex episcopi voluntate et canonum statutis, pro qualitate criminum et pro vario pœnitentium studio præscribebantur.

Consistentes nullis amplius laboribus subjiciebantur, cum fidelibus missæ sacrificio intererant, quod cæteris fidelibus et catechumenis denegatum erat, et cum cæteris fidelibus preces fundebant. Attamen, prout definitum legimus cap. XI Conc. Nicæni, « offerre » non poterant, proinde nec de Eucharistia participare. Horum locus in ecclesia ab ambone usque ad altare inter omnes constat, sed non ita exploratum est an permixti essent cum cæteris fidelibus nullo discrimine, an potius ab illis sejuncti. Verosimilius est eos fuisse sejunctos, nam secus, ad cancellos sanctuarii accedere potuissent, a quibus non offerentes et non communicantes arcebantur.

Ab hac disciplinæ deflexit severitate Ecclesia orientalis post. sæc. IV, et passim abrogatæ sunt publicæ pœnitentiæ stationes. Ecclesia latina tenacior fuit veteris disciplinæ. Attamen post sæc. VII nulla amplius solemnium pœnitentiæ stationum mentio occurrit; et post sæc. XI plane abrogata videtur pœnitentia publica, quum usus invaluit pœnas canonicas eleemosynis, expeditione terræ sanctæ redimendi.

V. Sed etiam non unus fuit modus infligendi sustinendique privatas pœnitentias. Nam etiam quoad hæc videtur rigidior antiqua, benignior recens disciplina. Nam quousque viguit, vel etiam habente, vel etiam statim ac cessavit vetusta pœnitentiæ publicæ disciplina, ea videtur fuisse velut prototypus pœnarum et in pœnitentia privata infligendarum. Libri enim pœnitentiales seu codices pœnarum pro qualitate criminum a pœnitentibus sustinendarum, qui ex variis ecclesiarum canonibus elaborati et collecti erant, præstituerunt modum sacerdotibus juxta quem in privata etiam pœnitentia pœnas infligerent.

Nescio an Græci adhuc hujusmodi disciplinam servent; sed eam adhuc servare videntur ex notis P. Goar ad Euchologium Græcorum, ubi observat quod « si venia dignas pœnitentis culpas deprehenderint, nullam adhibent absolutionem, sed de pio quodam opere exercendo monitum amice remittunt. Si lethifera..... detegunt, illa in nono canone juxta se posito examinant, censurarumque districtioni, prout legunt, cuncta subjiciunt, et tandem pœnitenti bene precantur. Publica vero pœnitentia nulli licet amplius imponatur..., aliquos tamen confessione expiatos a sacra communione per annum vel plures quandoque arcent. »

Apud Latinos vero quum severitas canonum pœnitentialium temporum circumstantiis non esset amplius idonea, ab eorum usu temperatum est, donec hodie, licet confessariis insinuetur lectio veterum pœnitentialium ut noscant quali modo pro varietate criminum antiquitus procederetur, de eoque moneant pœnitentes ut criminum horrorem et magnitudinem concipiant, tamen pœnitentiarum impositio prudenti arbitrio confessarii remittitur (cap. VIII de pœnit. Conc. Trid. sess. XIV. cap. VIII, 9).

De indulgentiis.

VI. Non vero tantum ligandi, sed et solvendi potestas Ecclesiæ concessa est, proinde eadem auctoritate qua pœnas seu pœnitentias pro peccatis luendas infligit, easque sua prudentia moderatur, ita de illis pœnis aliquid remittere, vel indulgere, vel relaxare potest, salva sacramenti natura. Remissio pœnæ temporalis cui ligamur coram Deo, dimissa etiam culpa et pœna externa per sacramentum pœnitentiæ, *indul-*

gentia dicitur. Usus indulgentiarum fuit constans in Ecclesia, sed ut conveniens est, in ratione inversa pœnitentiarum : seu quo durior fuit disciplina pœnitentiæ, eo minor fuit indulgentiarum necessitas, quum disciplina Ecclesiæ directa esset ut per pœnitentias in sacramento pœnitentiæ injunctas peccata etiam quoad integram pœnam temporalem luerentur; sed quando ætatis status talis erat ut gravitate pœnitentiarum homines a pœnitentiæ sacramento averterentur, ne disciplinæ rigor esset occasio mali, tunc quo blandior inducta est disciplina pœnitentiæ, eo major receptus est indulgentiarum usus ut illius defectui suppleretur. In vetustate sunt rara exempla indulgentiæ, et unum præ cæteris eminet relaxatio pœnitentiæ residualis ad preces martyrum, quæ secernenda est a pace quæ instante morte vel persecutione dabatur; hi enim sic reconciliandi, cessante periculo, iterum pœnitentiæ supponebantur.

Sed medio ævo collabente pœnitentia percrebuit indulgentiarum usus, et collapsa magis magisque auctus est. Ex eadem varietate disciplinæ factum est ut quum vigeret publica pœnitentia, in ejusdem imminutione pœnitentia consisteret : ea collabente in ejusdem redemptione aliis piis operibus, ex. gr., eleemosynis quæ in pauperum subsidium, pro ædificandis et reparandis ecclesiis, convertebantur; pro liberatione terræ sanctæ, item expeditionibus contra infideles pro bellis sacris : collapsa autem disciplina manserunt formulæ veteres quæ se referunt ad systema pœnitentiale, in quibus fit mentio plurium annorum, dierum, quadragenarum, sed reapse non minuunt pœnitentiam canonicam quæ amplius non est in usu, et abrogata est, sed supplent illius defectui in-

vehendo exercitium aliorum piorum operum, quorum praxi tanta pœna coram Deo remittatur quanta remitteretur per tot annos, dies, etc., pœnitentiæ canonicæ.

Ita Ecclesia pia mater se aptans ætatis circumstantiis infinitis et multiformibus pietatis operibus, id obtinet quod non obtineret terrore systematis pœnitentiæ canonicæ : inde videre est quod deficiente systemate illo exordiuntur confraternitates laicorum, cum habitu pœnitentiali pro operibus pietatis institutis : praxis Rosarii, exercitiorum spiritualium, usus frequentior et multiplicatus verbi Dei, supplicationes publicæ, expositiones Sancti Sacramenti, menses sacri et Mariæ Virgini et Josepho ejus sponso et sancto Cordi Jesu et animabus purgantibus...

Jansenistæ optarent antiquam disciplinam in conspectu hujusmodi exercitiorum quibus credunt imminutum spiritum Ecclesiæ; protestantes hæc irrident : neutri vident eumdem esse finem et spiritum Ecclesiæ, ætatis varietati coordinatum.

VII. Ex eadem varietate disciplinæ et hoc sequitur, quod quando stetit pœnitentia canonica, pœnam coram Deo debitam indirecte remisit Ecclesia remittendo pœnas a sacerdote vel a jure injunctas : postquam cecidit pœnitentia canonica, immediate et directe pœnas laxavit in hoc vel in futuro sæc. obeundas. Inde consequitur quod.

1° Indulgentiæ aliquando versabantur circa opera pœnitentibus publicis injuncta ; hodie hæc opera ordinarie subtrahuntur (indirecte possent hæc opera pertingere puta casum illius qui lucratus indulgentiam plenariam non perfuncta adhuc pœnitentiam oriatur). Hæc videtur mens Ecclesiæ quæ aliquando indulgen-

tias cum hac conditione concedit, ut pœnitentibus salutaris pœnitentia injungatur, et hæc injuncta, tum propter sacramentum, tum qua plerumque ut medicinalis peragi debet.

Cæterum quod Ecclesia posset opus etiam injunctum imminuere, commutare, etiamsi non a jure tantum injunctum sit, sed et a sacerdote.

Maldonatus de indulg. q. 1, p. 11, intelligit aut inflictas in sacramento pœnitentias, aut decretas jure ecclesiastico; Bellarm. tantum in sacramento injunctas; S. Thom. et alii non tantum a pœnis non injunctis, sed etiam ab illis quæ fuerunt a sacerdote in sacramento injunctæ. Vide Liebermann, p. 253. de indulg. in object. contra propositionem an pœnitentiæ liberent a pœna coram Deo. Relinquo theologis ut definiant quousque hæc potestas indulgentiarum extendi possit quoad satisfactionem sacramenti pœnitentiæ, salva ipsius sacramenti natura, et alia quæ huc pertinent.

Animadverte quod aliquo modo satisfactio dici possit et dolor, et confessio, et propositum satisfaciendi, et indulgentia in hoc casu non relaxat integram satisfactionem, sed partem, et licet integram relaxaret, eam relaxaret commutando in aliud opus meritorium quod ad satisfaciendum posset ordinari, et proinde Ecclesia veluti commutaret pœnitentiam injunctam. At certum est quod mens Ecclesiæ sit non condonare hodie per indulgentiam satisfactiones injunctas a sacerdote in sacramento.

2° Non habemus exempla indulgentiarum plenariarum in antiqua disciplina. Antiquissima videtur illa quam largitus est, in Conc. Claramontano, anno 1096, can. 2 (apud Labbe, tomo X Concilior., col. 507)

Urbanus II omnibus qui captis armis contra infideles irent ad terræ sanctæ recuperationem. Exemplum secutus est Eugenius III qui *largissimam veniam* iisdem Cruce signatis impertiit, ut patet in epistola Bernardi 363 (pag. 276, edition. Mabillonii). Nonnulli citant exempla antiquiora Urbano II, sed non videntur communem sequi sententiam. Ratio forte in eo est quod, quoad usus indulgentiarum coercitus erat pœnitentiæ canonicæ ; sese non extendebat ad pœnas omnes pro peccatis solvendas, quæ pœnitentiæ canonicæ non erant subjecta, multo minus ad pœnas quæ sequuntur peccata venialia, quæ nec necesse est confiteri.

De jure indulgentiarum.

VIII. Cæterum jus concedendi indulgentias, ad illos pertinet quibus competit jus moderandi pœnitentiam, seu jus ligandi et absolvendi in Ecclesia. Tales sunt R. P. quoad universam Ecclesiam, et universitas episcoporum cum eo, vel singuli episcopi in sua diœcesi. Sed eodem jure quo processit reservatio casuum pro culpæ absolutione, ita et reservatio indulgentiarum pro condonatione harum pœnarum quæ peccata consequuntur, licet quoad debitum culpæ dimissa. Videlicet superior auctoritas in eodem genere inferioris auctoritatis est limes. Ergo relicta est R. P. vel aliis ab eo delegatis facultas concedendi indulgentias plenarias : episcopis conceditur jus conferendi partiales indulgentias, videlicet unius anni in dedicatione Ecclesiæ; in cæteris vero temporibus (cap. XIV de Pœnit. et Remissionib. loquitur de anniversario dedicationis) quadraginta dierum. Sed jure delegato conceditur et cardinalibus et episcopis et inferioribus etiam clericis plenarias etiam a R. P. indulgentias impertiri.

CAPITUL. V.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

I. Omnia sacramenta id habent *commune*, ut ad hominum sanctificationem ordinata sint. Duo sacramenta id habent *proprium*, ut ad Ecclesiæ propagationem, institutionem et curam ordinata sint: sacramenta ordinis et matrimonii: hoc ut filios Ecclesiæ generet, illud ut regeneret; hoc ut prolem paterna vel materna cura Christianæ virtuti instituat, illud ut sacris ritibus et omnibus cultus divini functionibus Ecclesiæ filios plebem christianam instruat, sanctificet, gubernet. Itaque, quum duo hæc sacramenta specialem habeant relationem cum Ecclesia in suo esse sociali considerata, paulo diutius de iis loquendum est.

Exordior a sacramento ordinis. Suppono jam nota ex theologia quæ pertinent ad institutionem, materiam, formam, ministrum, subjecta, effectus hujus sacramenti in suo aspectu dogmatico. Suppono jam notos ex primis lectionibus de statu personarum varios gradus in quos distinguitur ordo sacer, unde hierarchia ordinis resultat. Coercebo tractationem ad eam partem quæ juri nostro magis propria est, seu de disciplinari Ecclesiæ œconomia, — 1° quoad admissionem suscipientium, — 2° quoad ministrorum conditionem, — 3° quoad modum conferendi, — 4° quoad obligationes quibus ordinatus astringitur.

I. DE REQUISITIS ORDINANDORUM.

Ordo sacramentum de iis est qui characterem imprimunt: propterea ordinatur ad quemdam statum permanentem et perpetuum. Hic status qui sacramento

ordinis respondet est status magistratus et principatus. Sed ad hujuscemodi statum non omnes sunt idonei, ii vero solum qui omnibus sint præditi prærogativis quæ ad status illius munia sancte et decore obeunda requiruntur, unde Ecclesia aliqua certa indicia possit deprehendere *divinæ vocationis*. Inde Ecclesia sapientissima quædam requirit in iis qui ad ordinem debent promoveri.

Hæc requisita nonnulla generalia sunt quæ ad susceptionem omnium ordinum spectant, alia quæ spectant in specie nonnullorum ordinum susceptionem.

De requisitis ad susceptionem ordinum in genere. Hæc requisita sunt vel negativa vel positiva.

Negativa requisita.

II. Negativa sunt ut nullum adsit impedimentum quo suscipiens a ministerio ordinis juris sententia removeretur. Hujusmodi impedimenta quæ antiquissima sunt in Ecclesia, ad quæ exprimenda veteres dicebant : « Aliquem repelli a ministerio ; — ad ministerium non admitti : » non ante sæc. XII, ut videtur, dicta sunt *Irregularitates*.

Sunt ergo irregularitates *impedimenta canonica quæ ab ordinis ministerio prohibent, proinde et ab ordinatione. Impedimenta :* non enim sunt pœnæ, saltem in suo conceptu generico, quippe quæ non omnia supponunt crimen, sed sunt mera obstacula; *canonica*, id est, jure ecclesiastico inducta : proinde in eorum censum non numerantur defectus sexus virilis et baptismatis, qui causat nullitatem ordinationis, jure divino sic exigente, sed solum reddunt ordinationem ipsam per se loquendo illicitam. Non enim hic sunt impedimenta sicut in matrimonio, quæ, quum irritant contractum,

irritant et sacramentum. In ordinatione vero, licet prohibeat ne quis suscipiat, vel ne cui detur sacramentum, nil tollit de ritu sacramentali, quo fiat irritum sacramentum. *Quæ vetant ministerium ordinis*: hoc enim est objectum [1] horum, et per consequens *Ordinis etiam susceptionem*, quum Ecclesia nolit promovere illos qui ad sacra officia inhabiles sint.

Hujusmodi autem inhabilitatem ad sacra munia Ecclesia apprehendit per ordinem ad decorem ministrationis sacrorum et status clericalis : hoc autem duplici ex fonte, videlicet ex *delicto* et ex *defectu*.

Delicta quæ irregularitatem importent sunt : 1° Vel quæ rectæ opponuntur administrationi sacrorum, 2° Vel quæ infamiam irrogant, et opponuntur decori ordinis clericalis.

Primi generis sunt : 1° hæresis et apostasia, prædicationis muneri oppositæ ; 2° iteratio baptismatis, opposita canonicæ sacramenti administrationi ; 3° homicidium vel mutilatio aliquo modo culpabilis, opposita incruento sacerdotio et sacrificio N. L. ; 4° quædam delicta in materia ordinis indigne suscepti vel exerciti, quæ e diametro legitimo S. Ordinis ministerio opponuntur ; 5° quæ delicta tunc potissimum considerantur, quando et censuræ violationem important ob insubordinationem auctoritati ecclesiasticæ.

Secundi generis delicta sunt ex quibus nascitur infamia sive juris sive facti. Facti, quæ nullo legis vel judicis ministerio ex ipsa notorietate gravis alicujus

[1] *Finis* hujus impedimenti est decus sacrorum; *objectum* est ministerium proindeque inaugurationem ad illud sive illius exercitum; *subjectum* autem, quilibet qui vel ex delicto vel ex defectu in eo statu sit, quo sacrorum ministerium ipsum dedeceat.

criminis oritur. Juris, quæ ex judicis sententia oritur, qua quis reus declaratur, et damnatur alicujus criminis cui ab ipsa lege infamiæ nota inusta sit. In delictis primi generis potius *esse delicti*, in aliis potius *consequens infamia* respicitur, et proinde ex hac pendet irregularitas.

III. *Defectus* qui irregularitatem pariunt sunt defectus alicujus qualitatis vel physicæ vel moralis requisitæ ad decorum munerum ecclesiasticorum exercituum, vel ad decorem ordinis vel cætus clericalis, quatenus ad sacrorum decus confert.

Physici defectus considerantur ex parte animi et ex parte corporis.

Ex parte *animi* quoad exercitium et usum illarum facultatum sine quibus sacra ministeria non possint adimpleri. Ita ex defectu usus rationis removentur infantes, dementes, furiosi, energumeni.

Ex parte *corporis* irregularis dicitur qui corporis affectione laborat, qua ne in sacris officiis honeste et decore ministret impediatur. Difficile certæ fuit sacris canonibus singulas definire species, quibus impedimenta singulorum ordinum et officiorum designarentur, quamobrem verba canonum generalia sunt, quibus corpore vitiati ab ordinibus excludantur (c. v, d. 33; c. I, d. 36; c. I, III, d. 55).

Verum hanc interpretationem recipiunt, ne quis ad ordinationem vel ordinum exercitium admittatur qui tale vitium habeat, ut non possit, vel saltem non facile et cum decore, sacra officia exercere. Cohærenter ad hoc principium plura in specialibus casibus per sacros canones definita sunt.

Definitum deprehendimus irregularem esse oculo orbatum, vel qui maculam gravem in oculo contraxit

quod de oculo sinistro vel *canonis* præsertim intelligi solet.

Definitum deprehendimus irregularem dici qui pede læsus sit ita ut sine baculo sustineri non possit, aut manu mutilatum, aut destitutum digito ad eucharistiæ ministerium necessario, vel ungula pollicis in dextra ut non possit sacram hostiam facile frangere, vel duobus digitis medio et quarto, leprosum, epilepticum, paralyticum, etc.; sed plura remanserunt ex eodem principio ab ecclesiasticis judicibus determinanda, ita ut communiter tradi soleat, quod sive ob sensuum defectum, sive ob membrorum carentiam, sive ob ægritudines, sive ob deformitatem quilibet talis est ut omnino non possit vel cum decore non possit sacra munia exercere, irregularis evadat.

Defectus autem *morales* quoad plures morales dotes solent attendi, quæ ad eumdem finem decoræ administrationis sacrorum requiruntur, et honoris status clericalis. Respiciunt vero :

1° Aliæ originem et natalis : defectus *natalium* olim de iis dicebatur qui nati essent servi : hodie proprie dicitur de iis qui nati sunt ex damnato coitu sive nothi ex adultera, sive manzeres ex prostituta, sive naturales ex concubina, vel generali vocabulo spurii stupro, incestu, sacrilegio, vel alia inhonesta conjunctione nati. Hi remoti sunt ab ordine clericali sive ad decorem status a quo prohibendi ii quorum origo erat obscura et vitiosa, deinde ut ii removerentur a ministerio de quibus suspicio oriebatur imitationis paterni exempli, demum ut paternum flagitium magis magisque damnaretur.

Similis prudentia ex similitudine rationis applicata est iis qui, licet legitimi, nati tamen erant ex hære-

ticis vel ex persecutoribus clericorum cardinalium, vel ex patronis qui beneficiorium clericum occidissent.

2° Aliæ indolem et tendentiam. Sub hoc respectu arcentur qui vel spiritus mansuetudine carent vel amore continentiæ, seu qui ita animo conformati sunt ut ad ferociam vel ad libidinem videantur proclivi. Duplex hic defectus dicitur, alter lenitatis, alter sacramenti.

1° Homicidium et mutilatio aliqua membrorum *voluntaria*, licet juste fiat, tamen quum res in se materialiter spectata talis sit a qua refugiant animi mites et ad mansuetudinem informati, qui a sanguinis effusione abhorrent, visa sunt non bene componi posse cum animo sacerdotali, cujus officium ad sacrificium incruentum ordinatur, cujus mores ad mansuetudinem et mititiem debent esse compositi. Inde hujusmodi lenitatis defectu omnes ii removentur qui in causa occisionis vel mutilationis implicati fuerunt. Tria sunt exempla in hoc proposito, nimirum in militari professione, — in causis judiciariis criminalibus, — in chirurgicæ et medicæ artis professione.

De *militibus*. — Milites qui in conflictu mortem in adversarios intulerunt, vel eos mutilarunt, irregulares evadunt : excipiuntur clerici qui ex officio vel tanquam principes sæculares bellum gerunt, vel tuendæ civitatis causa excubias et vigilias faciunt ex officio.

In judiciis *criminalibus* in causa sanguinis judices, qui sententiam mortis proferunt, accusatores, patronus, testes sponte se offerentes, ministri qui sententiam exsequuntur, et eorum adjutores qui proxime ad occisionem vel mutilationem concurrunt. Hæc regula et habet suas exceptiones.

In professione *artis medicæ* vel *chirurgicæ*. Si sermo sit de clericis chirurgicam artem profitentibus, vel monachis, etiamsi juxta leges artis urant, secent, incidant, irregulares sunt, quia iis interdictum quum sit ex Ecclesiæ canonibus, jam culpa immune esse nequit homicidium vel mutilatio, ideoque ratione criminis. At laici qui omnem diligentiam servant, certe ex capite criminis non sunt irregulares. Ex alio capite non habetur aperta juris sanctio; attamen sententia communis est ut sint irregulares. Ita vulgus pragmaticorum.

2° Licet *secundæ nuptiæ* non sint vetitæ, tamen exhibent incontinentiæ notam, nec exprimere videntur unionem Christi cum Ecclesia ex ea parte qua Christus uni Ecclesiæ desponsatus eam perpetuo diliget. Ergo in societate christiana non sunt in honore sicut primæ nuptiæ. Inde de bigamis non ordinandis vetustissima disciplina (I Timoth., Tit. 1, Ephes.). At ex rationis affinitate aliæ species bigamiæ huic affines vel similes inductæ sunt, et jure canonico probatæ. 1° *Vera*, quando quis duplex matrimonium, licet successive, contraxit et utrumque consummavit. 2° *Interpretativa* est, quando quis ducit uxorem viduam et a suo marito priore agnitam, et ipsemet agnoscit, aut mulierem ab alio fornicarie corruptam, aut virginem quæ, antequam a viro suo cognosceretur, ab altero corrupta est, et matrimonium in utroque casu consummat, aut si quis duplex inierit conjugium utrumque ex impedimento dirimente invalidum. 3° *Similitudinaria*, si quis sacro ordine vel solemni voto castitatis obstrictus audeat matrimonium contrahere et consummare. Sed tunc potius ex delicto quam ex defectu, ut videtis, exurgit irregularitas.

3° Aliæ *ætatem*, *scientiam*, et *fidei* firmitatem. Ex primo capite sunt irregulares omnes ii qui ætatem non habent, ex alio qui scientiam a sacris canonibus pro singulis ordinibus requisitam, vel defectu fidei firmæ quæ videtur deesse ex antiqua disciplina in clericis qui baptismum in tempus infirmitatis distulissent, et in præsenti etiam in neophytis. Non neophyti, aiebat Paulus, ne in superbiam elati in judicium incidant diaboli.

4° Aliæ *libertatem* et *famam*. Inter alias qualitates morales quas ecclesiastica disciplina in clericis requirit ad decorem sacrarum functionum exercitium decoremque ipsius status clericalis numerantur libertas et integra fama; proinde qui iis etiam inculpabiliter carent ab ordinibus sive suscipiendis sive exercendis arcet.

Libertas de qua hic loquimur non est physica volendi aut nolendi facultas independenter a quacumque necessitate, quæ si deesset, naturalem et physicum ad sacros ordines impedimentum causaret, prout in infantibus, amentibus... qui rationis non destituuntur. Sed libertas hæc est immunitas a specialibus quibusdam obligationibus socialibus, quæ clericum prohiberent quominus liberum ac decorem functionum clericalium exercitium sustinere posset.

Talis libertas deest *servis*, illis scilicet qui jure gentium subeunt servitutem. Serviles enim obligationes cum libero et decoro exercitio componi nequeunt. Proinde aut statum servitutis cessare oportebat, aut illo manente servum ab ordinibus illorumque muniis obeundis impediri. Atqui Ecclesia nec prudens, nec justum esse putavit servis ausam præbere ut a dominorum obedientia se subtraherent, et ita dominorum

jura violarentur; ergo nisi servi manumissi forent, vel dominus illorum ordinationi consensisset, servos non ordinabat; si ordinatus fuisset, ab ecclesiasticis muneribus exercendis repellebat. An vero et quando in pristinam servitutem redigeretur, et quæ remanerent dominis jura in servum ordinatum, altiori disciplinæ reservo.

Talis libertas ex rationis similitudine deerat *curialibus*, videlicet iis omnibus qui muneribus quibusdam adimplendis publicis ratione status erant devincti et obnoxii. Tales erant qui vel in pace vel in bello servitiis alicujus curiæ vel gubernii essent mancipati. Hi tanquam servi politici gubernii considerati sunt.

Talis libertas deesse videbatur et iis qui ex munere publico aliena administrarent, prout erant *Actores* et *Exactores* rerum et jurium publicorum, *tutores* pupillorum, *curatores* minorum et similium personarum, quousque administrationis munus sustinerent, et rationibus reddendis essent obnoxii. Hic status et liberum exercitium functionum clericalium imminuebat ex una parte, ex altera vero decori ipsius ordinis aliquam innuere potuisset infamiam, si suspecta administratio evasisset.

Dabantur vero regulæ exceptiones : 1° In casu tutelæ legitimæ a qua nec ipsi clerici eximebantur; 2° in casu administrationis ad pias causas, qualis est administratio rerum Ecclesiæ vel monasteriorum, quæ clericis committi debet; 3° administratio bonorum miserabilium personarum prout sunt viduæ..., quæ clericis maxime convenit. Testantur hodie pragmatici hanc irregularitatem hodie obstare, 1° si publicis rationibus quis astringatur, 2° etiamsi privatarum rerum

quis geret administrationem, tamen in judicio jam conventus est ob dolum.

Libertas isthæc *conjugatis* deest ob speciales obligationes quibus ad uxores tenentur, ne sine earum consensu maritus illum statum amplectatur, qui cum conjugii oneribus est incompatibilis, proindeque inducet dissolutionem matrimonii quoad habitationem et thorum. Ex alia vero parte ne isthic consensus uxoris scandalo causam dare posset, voluerunt canones ut et ipsa, si consentiret, deberet approbatam religionem profiteri, vel castitatis perpetuo servandæ votum emittere, approbante episcopo.

Libertas hæc simili quodam modo deest et *monachis* qui voluntati superioris sunt obnoxii, nisi superioris consensus accedat. Hæc irregularitas nascitur non ex incompatibilitate status clericalis et monastici, sed potius ex utriusque relatione.

Famæ etiam defectus irregularitatem fecit, si vel ab omni crimine et delicto immunis non sit ordinandus. Hæc irregularitatis species si a specialibus irregularitatis quæ oritur ex delictis, quæ infamiam irrogant, secernatur, restringi quodammodo videtur ad quasdam professiones quæ infames dicuntur, qualis est ars carnificis; sed hæc comprehenditur jam sub irregularitate ex defectu lenitatis : ergo restringitur ad eos qui ludicram vel comicam artem exercent can. 2, dist. 33. Horum vivendi conditio videtur contraria decori, gravitati munerum ecclesiasticorum.

IV. *Principia.* — 1° Nil excusat ab irregularitate ex defectu; sed aliquid potest excusare ab irregularitate ex delicto : hic enim, non illic, attenditur culpa.

2° In irregularitate ex defectu aliquando necessaria

non est dispensatio, si defectus sit temporaneus; in irregularitate ex delicto semper.

3° Ad dispensationem tria requiruntur : 1° existentia impedimenti, 2° justa causa necessitatis vel utilitatis Ecclesiæ, 3° facultas dispensandi.

4° Quum impedimentum hoc sit juris communis et ad legem communem in Ecclesia pertineat, non potest relaxari nisi a suprema Ecclesiæ auctoritate : ergo episcopi « quoties constat de impedimento jure communi inducto, » nihil possunt præter id quod concessum est. Concessum est autem in Trid. sess. 24, c. 6, in iis speciebus irregularitatis dispensare, quæ ex crimine occulto proficiscuntur, excepto homicidio voluntario et aliis ad forum contentiosum deductis.

5° Dispensatio, quum sit contra jus, est semper strictæ interpretationis.

Positiva requisita.

2° *Positiva* requisita sunt : 1° certa ætas, 2° certa scientia, 3° certa pietas.

De requisitis ad ordines majores.

V. Præter requisita communia quæ ecclesiastica disciplina requirit ad ordines suscipiendos, nonnulla sunt specialia quæ requirit ad recipiendos ordines majores et sacros. Sunt autem 1° Titulus, 2° Status liber.

De Titulo. — Mos erat veteris disciplinæ ut ordinatio clerici non comprehenderet meram ordinis collationem, sed simul et destinationem clerici ipsius ad certum aliquod officium sacrum in aliqua determinata Ecclesia obeundum, quo fiebat ut quis eodem actu ordinem et officium aliquod perpetuum ordini illi cohærens reciperet, penes aliquam determinatam Ecclesiam

gerendum. Hujusmodi officium erat *titulus* propter quem ordines conferebantur, et sine quo non conferebantur. Nam ordines non conferebantur nisi ut alicui officio sacro vel de novo instituto vel vacanti provideretur, nec providebatur nisi conferendo alicui ordinem ad illud munus requisitum, ut ita perpetuo illius functionibus determinatis manciparetur. Non ordinabatur quis presbyter vel episcopus in genere, sed illius determinatæ Ecclesiæ vel pro illo determinato officio : unde ordinationis nomine secundum veterum canonum praxim collationes etiam beneficiorum veniebant.

Ergo secundum veterem Ecclesiæ disciplinam sine titulo nemo ordinabatur. Titulus præstabat officium sacrum perpetuum, sicuti perpetuus erat ordo qui illi officio erat annexus, et propter quod erat collatus, simul et jus dabat ad sustentationem propter idem officium et vi ipsius officii habendam. Ita ecclesiastica disciplina faciebat ut 1° ordo non inutilis et otiosus remaneret, 2° ut clericus ordinatus cohærenter ad onus quod subibat, et sustentationem suam haberet, ne cum dedecore status clericalis mendicare cogeretur.

Modus autem capiendi fructus temporales ab officio fuit varius juxta variam Ecclesiæ disciplinam :

Quousque viguit disciplina primitiva, quod totum peculium ecclesiasticum in solidum ab episcopo diaconorum ope administraretur, exercebant hoc jus recipiendo ab episcopo ope diaconorum consuetas pecuniæ vel victualium pensitationes.

Quando viguit disciplina vitæ communis, recipiebant alimenta, habitationem, etc., ex ipsa mensa communi.

Quando singulis pro officii qualitate quædam præ-

dia sunt assignata unde vitam caperent, percipiebant ex iis fructus temporales ad sui sustentationem. Sed licet varia esset quoad hæc disciplina, hoc servabatur ut una cum ordinum collatione etiam officium daretur, et jus ad sustentationem, nec sine hoc titulo ordinatio admitteretur.

Sæc° XII distingui cœpit collatio officii a collatione ordinum : inde abusus irrumpere alicubi, ut multi sacram ordinationem peterent, et ab oscitantibus episcopis consequerentur, nec officiorum sacrorum intuitu, nec cum debita reddituum applicatione. Perniciosa hæc erat disciplina sive ob otium a sacris ministeriis, et propterea ob indigentiam consequentem clericorum. R[i]. P[es]. Alexander III et Innoc. III hisce abusibus obstiterunt, acriter contendentes ut spiritus retineretur antiquæ disciplinæ. Quidquid esset de modo conferendi officii sacri, vel videlicet in concreto et determinate, vel ad libitum episcopi pro utilitate vel necessitate Ecclesiæ ; quidquid esset de actu conferendi determinatum aliquod officium sive ante sive post ordinationem : voluere ut vitæ necessaria suppeterent ad vitam honeste traducendam. Quod si redditus ad honestam sustentationem ex beneficio haberi non possent, saltem ex bonis patrimonialibus ejusdem clerici haberetur.

Inde titulus ordinationis considerari potissimum visus est respectu ad redditus quibus sustentationi clericorum provideretur ; sed præter titulum beneficii *titulus patrimonii* admissus est tanquam subsidiarius. Quod si contigisset episcopum sine alterutro titulo clericum ordinare, ipse teneretur ordinatum titulo alere donec ille de aliquo titulo provideatur. Consequenter et pensiones perpetuæ ex aliquo bene-

ficio alicui clerico assignatæ patrimonii titulo comparatæ sunt.

Conc. Trid. conservans idem principium, videlicet quod servitium Ecclesiæ sit unice ordinationis ratio, propterea que prohibens sess. XXIII, cap. XVI, ne inutilis ordinetur, et jubens ut nullus in posterum ordinetur qui Ecclesiæ aut pio loco pro cujus necessitate vel utilitate assumitur, non adscribatur, ibi suis fungatur muneribus nec incertis vagetur sedibus. Attamen quum contingere possit quod ob difficultatem beneficia consequendi et ministrorum qui Ecclesiæ inserviunt necessitatem ordinandus sit qui clericatu dignus et Ecclesiæ necessitati vel utilitati opportunus possit aliunde sustentari, præter beneficii titulum admisit titulum patrimonii vel pensionis.

VI. Concludamus :

1° Unica ratio ob quam quis ordinari possit, est servitium Ecclesiæ, quæ certa erit si beneficio alatur clericus ; non tam certa, si patrimonio vel pensione, et non ita determinata.

2° Verum titulus in antiqua disciplina erat addictio certæ Ecclesiæ vel certo ministerio cum onere inserviendi et cum jure se sustentandi ex illius Ecclesiæ redditibus. Latior erat significatio tituli. Hodie quum independenter a beneficio titulus haberi possit, magis sese extendit, et minus comprehendit illius significatio, ut potius attendatur ad redditus temporales quibus clericus sustentari possit.

3° Propterea hic titulus ex parte sustentationis debet esse perpetuus, inalienabilis, sufficiens, ut finis legis consequatur. Episcopi erit explorare stabilitatem patrimonii et sufficientiam sive beneficii, sive inquirere et determinare fructuum quantitatem.

Verum hæc optime procedunt de clericis sæcularibus. Quid de regularibus qui voto paupertatis adstricti nequeunt possidere? Num removendi? Atqui scimus utilitatem eorum. Quum ergo de mensa et vita communi illorum sustentationi esset provisum, et reversus ad sæculum illis esset prohibitus : ipse titulus *religiosæ paupertatis* sufficiens visus est sua sporta, ut ait S. Antoninus p. 3. q. 14. Pro congregationibus vero clericorum sæcularium qui vel nullam professionem emittunt, vel ad certum tempus speciali R. P. privilegio opus fuit ad titulum *mensæ collegialis*, vel *massæ communis*, vel *missionum*.

Status liber, de quo antea locuti sumus. Adnota potissimum qualis fuerit cleri sæcularis existimatio medio ævo, et qualis nunc etiam apud Græcos. Omnis veneratio transit in monachos : apud eos omnis studii cultus.

Ecclesia græca repellit ab ordinibus bigamos.

II. DE MINISTRO ORDINATIONIS.

VII. Declarat conc. Trid., sess. XXIII, cap. IV : « Episcopos... ad hierarchicum ordinem præcipue pertinere... eosque presbyteris superiores esse, ac sacramentum confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent; » et ibid., c. VII : « Si quis dixerit episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent illis esse cum presbyteris communem... anathema sit. »

His verbis Trid. nos docet collationem sive confirmationis, sive ordinis, esse functionem ordinis epis-

copalis, et in hoc præsertim episcopatum a presbyteratu differre (obiter hic animadverte quod licet Trid. voluerit definire jure divino ordinem episcopatus esse superiorem ordine presbyteratus, tamen id tacite innuebat quando distinctionem ex hac potestate repetebat in ordine ad quædam sacramenta quam negabat presbyteris ; sed quidquid sit de hac quæstione).

At non erat Trid. mens per hæc verba definire quod alter minister extraordinarius præter episcopum nequeat admitti sive in confirmationis, sive in ordinum collationem. De confirmatione patet ex canone III, sess. VII, ubi contentum fuit definire : « Si quis dixerit sanctæ confirmationis ordinarium ministrum non esse episcopum, sed quemvis simplicem presbyterum, anathema sit. » De ordine vero patet ex cap. x, sess. XXIII, de reformatione, ubi hæc habet : « Abbatibus et aliis quibuscumque exemptis non liceat in posterum in tres fines alicujus diœcesis consistentibus, etiamsi nullius diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam qui regularis subditus sibi non sit tonsuram vel minores ordines conferre. » Ex qua inhibitione consequitur indirecte, licere abbatibus nonnullis quibus id juris concessum est, suis subditis regularibus tonsuram et minores ordines conferre.

Sane hujusmodi facultates datas esse abbatibus presbyteris et ab episcopo benedictis constat ex Syn. VII. Nicœna II, prout habemus ex decretali XI quum contingat de qualitate, ætate et ordine præficiendorum ; item in cap. I, de ordinatis ab episcopo, qui renuntiavit episcopatui. Sed nec hujusmodi benedictionem esse necessariam, ut habemus ex cap. I, de supplenda prælatorum negligentia, et ex constitutione *commissi* Bened. XIV.

Addite vulgo ferri solere quoddam privilegium datum ab Innoc. VIII in bulla *Exposcit* favore abbati generali Cisterciensium pro omnibus monachis ordinis sui, et favore quatuor primariorum abbatum pro monasteriorum suorum religiosis quoad ordinem subdiaconatus et diaconatus : imo controvertitur inter doctores an valeat R. P. delegare ad sacerdotium conferendum, licet hujus delegationis nullum afferatur exemplum.

VIII. Menimi me anteactis explicationibus quoddam tentamen proposuisse ad explicandum quomodo delegatio poterat intervenire in causa confirmationis, cujus aliquod indicium deprompsi ex Berardi in jus publicum ecclesiasticum ubi præbet distinctionem inter potestatem ordinis et jurisdictionis. Et mihi visa est præ cæteris opinionibus accommodata, et mihi videtur etiam magis cohærere verbis Tridentini, quod asserit nullam sive confirmandi sive ordinandi potestatem sacerdotibus competere. Cæterum veneror opiniones eorum qui me sapientiores sunt.

Modo consimilis modus solvendus esset hac in re.

Omitto quæstionem an R. P. possit delegare ordinandi presbyteros potestatem. In his quæstionibus alius non est melior arguendi modus quam illud qui ex facto oritur. Ita ex factis arguitur potestas R. P. delegandi ad sacramentum confirmationis, solvendi matrimonium ratum non consummatum. Si facta non essent, valde de hac facultate ex meris principiis speculativis ambigeremus. Quando ergo fiet, si fieri potest, ut R. P. hanc facultatem committat, tunc de illius potestate hac in re inquiremus.

Omitto pariter quæstionem consimilem quæ agitatur de diaconatu. Monumentum quod supra allatum

est, vel apocryphum vel vitiatum est. Vel apocryphum : quum S. Cgrgatio Conc. voluit suspendere quædam privilegia quæ in ea bulla referuntur donec indultum authenticum ex archivo apostolico desumptum non exhiberetur, hoc nunquam ostensum est, ut fusius refertur in epistola ejusdem Cgrgationis ad omnes locorum ordinarios (31 mar. 1744). Vel vitiatum : potuit enim ab extensore illius constitutionis vel ab amanuensi ex errore quod de subdiaconis indulgebatur etiam ad diaconos proferre. Saltem res in dubio posita est, et ex ipsa raritate concessionis, singularitate, debemus præsumere fallaciam.

Quod vero pertinet ad subdiaconatum, et ad minores ordines quorum conferendi facultas aliquando a S. P. mandata est, ut vidimus, vel saltem videtur mandata fuisse, si sermo est de subdiaconatu; si vero sit de minoribus ordinibus et tonsura, non solum aliquando solet a P. R. concedi presbyteris, sed et ordinario quodam modo committitur abbatibus ab episcopo benedictis, vel etiam sine hujusmodi benedictione : solutio admodum fortasse difficilis non est.

Meminisse debetis « hierarchiam divina ordinatione constitutam constare ex episcopis, presbyteris, et ministris. » Ita Trid. sess. XXIII, cap. VI. Ministrorum nomine diaconos venire, utpote qui habent plenitudinem hujus ministerii, in confesso est : alios autem non venire nisi quatenus eorum ministeria in diaconatus ministerio eminenter comprehenduntur, communiter admittitur. Videlicet hujusmodi minores ordines sunt de divina institutione in suo genere, non autem in sua specie, nec ut passim admittitur, sacramenta sunt.

Verum ob rei analogiam placuit Ecclesiæ per ritus sacramentales ad hæc ministeria inaugurare. Sicut illius erat determinare et instituere hunc ritum, ita et concedere cui vellet illius ministrandi facultatem, quando et sive hoc ritu poterat, sicut alios ad hæc ministeria admittit non ordinatos. Ex analogia quæ requirebat ut ille esset sacramentalium, qui erat sacramentorum minister : sacramenti autem ordinis minister est episcopus : ergo episcopo data est illorum conferendorum potestas ordinaria. Cæterum quum ex alia parte abbatum benedictio et jurisdictio summopere imitatur benedictionem et jurisdictionem episcopalem, cohærenter evenire debent ut abbatibus talis facultas committeretur.

Ubi etiam notate, quod ob analogiam sicut episcopali characteri ita adnexa est omnium ordinum collatio ut valida semper sit, licet aliquando illicita, ita a pari, ut fidem faciunt variæ decisiones Cgrgtionis Conc. quas refert Giraldius ad illustrationem c. x, sess. XXIII, Trid., receptum videtur ut valida sit nec iteretur ordinum collatio, quorum conferendorum aliquando de jure ecclesiastico facta est potestas : quod et in omnibus sacramentalibus solet servari.

In sententia illorum qui dicunt omnes ordines sacramenta esse, difficilis sane esset explicatio : nec videretur alia via quam illa qua foret consimilis illi quam terimus ut explicemus delegationem ad confirmationem.

IX. Hæc quidem spectant ad validam ordinum collationem. Quid de *licita?* Si omnium sacramentorum œconomia episcopi curæ commissa esset, hoc præsertim quod præ cæteris adhæret muneri episcopali, et quo magistratus ecclesiastici creantur. Ergo nemo

potest ordinari nisi a suo episcopo : alienos subditos ordinare vetitum est.

Ante Bonif. VIII. cap. III. de tempore ordinationis in 6, qui laicus erat a quovis episcopo poterat ordinari; sed ex prima illa ordinatione qua referebatur in clerum, peculiaris Ecclesiæ servitio mancipabatur, illius episcopo subjiciebatur et ab eo tantum reliquos ordines poterat recipere. Sed Bonif. VIII triplicem distinxit causam qua posset ab episcopo aliquis rite ordinari : *origo*, *beneficium*, *domicilium*.

Episcopus *originis* ille, in cujus diœcesi, non tamen ex accidenti vel fortuito, natus est. Si fortuito, puta causa itineris, legationis, officii... origo patris spectatur.

Episcopus *beneficii* ille in cujus diœcesi quis habet beneficium... modo ejus redditus sacri patrimonii taxam adæquent diœcesis vel originis si beneficiarius in ea permaneat, vel beneficii, si ad eam suum transferat domicilium.

Episcopus *domicilii* is in cujus diœcesi quis suum habet domicilium. Domicilium in eo loco quis habere dicitur ubi larem rerumque atque fortunarum suarum summam constituit : unde non sit rursus decessurus si nihil avocet, adeoque quum, sit profectus, peregrinari videtur; quo si rediit, peregrinari non destitit (L. J. C. de incolis). Ergo diuturna mora cum animo permanendi domicilium acquiritur (ponuntur X anni cum juramento de animo).

Additur et episcopus *familiaritatis* qui potest ordinare familiarem suum, licet non subditum, dummodo per triennium non interpolatum cum eo commoratus fuerit, et beneficium sive fraude statim illi conferat, nisi sufficiens patrimonium habeat. Hoc intelligitur

de episcopo diœcesano. Si secus factum fuerit, ordinans a collatione ordinum per annum, ordinatus ab exercitio ordinum susceptorum quoad ordinario placuerit, ipso facto suspenditur (Trid. 8, 23. de reform.). Sed poterit alius episcopus ordinare, si clericus obtineat litteras dimissorias vel commendatitias ad hunc effectum : sed episcopus qui eas recipit, debet cavere ut ibi conferat, ubi datur ei pontificalium usus.

Si sermo sit de regularibus ordinandis, hi recipiunt dimissorias a suo superiore ; sed debet ordinandus mitti ad episcopum diœcesanum; quod si sedes vacat, vel absit episcopus, vel ordinationem non habeat, et id fiat sine fraude, et non ex industria (quapropter requiritur authenticum testimonium vicarii generalis, vel cancellarii, vel secretarii episcopi diœcesani), poterit ad quemvis episcopum mitti ordinandus. Si secus factum fuerit, ordinans incidit in pœnas eorum qui alienum subditum sine dimissoriis ordinaverint.

III. DE MODO QUO ECCLESIA AD ORDINES ADMITTIT.

X. Ministrorum ecclesiasticorum inauguratio, siquidem ab iis publica et privata societatis christianæ utilitas dependet, res est summi momenti in ecclesiastica disciplina : inde plura statuta sunt quæ pertinent 1° ad ea quæ ordinum collationi præmittenda sunt, 2° ad ea quæ in ascensu et promotione ad sublimiores ordines servanda sunt, 3° ad ritum, tempus, et locum quo ordinatio peragi debeat. Hæc omnia comprehendo sub titulo præsentis lectionis.

I. Præmittenda : 1° nonnulla ab Ecclesia; 2° nonnulla ab episcopo; 3° nonnulla ab ordinando.

1° *Ab Ecclesia.* — Jejunium : hic est modus quo Ecclesia solemnioribus festis, imminentibus periculis,

grandibus factis se disposuit. Magnum factum est in Ecclesia ministrorum inauguratio : occasio enim magnæ utilitatis vel magni detrimenti esse potest. Apostolis jussit Sp. S. (Act., XIII) : « Segregate mihi Saulum et Barnabam ad opus ad quod assumpsi eos. » Ubinam certior vocatio? Sed Apostoli *jejunantes* et orantes imponentesque eis manus dimiserunt illos. Inde statuta sunt ab Ecclesia jejunia quatuor temporum, quorum occasione Ecclesia orat etiam « ut ab omnibus gradibus Deo digne et laudabiliter serviatur. » Ita et sabbato antecedenti dominicam qua consecratur episcopus, preces et jejunium præmittuntur.

2° *Ab episcopo.* — Scrutinium : Trid. sess. XXIII. c. VII. « Antiquorum canonum vestigiis inhærendo, decernit ut quando episcopus ordinationem facere disposuerit, omnes qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem vel quando episcopo videbitur, ad civitatem avocentur. Episcopus autem, sacerdotibus et aliis prudentibus viris peritis divinæ legis ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter investiget et examinet. »

Quod si sermo sit de Majoribus ordinibus, sive ob majora ministeria quæ eos manet, sive quia eorum susceptione status acquisitus in minoribus ordinibus magis magisque dirimitur, et absolute permanens, et perpetuus evadit, voluit ut et proclamationes publicæ in Ecclesia fierent de nomine et desiderio eorum qui volunt promoveri, ut meliori quo posset modo, si quæ in eis esset indignitas aut canonicum impedimentum detegeretur, et voluit ut specialis inquisitio fieret de ordinandorum qualitatibus, et litteræ testimoniales

inquisitionem factam continentes quamprimum ad episcopum mitterentur. Ita cap. v. sess. XXIII : « Illi vero qui ad *singulos* majores erunt assumendi per mensem ante ordinationem episcopum adeant, qui parocho aut alteri cui magis expedire videbitur committat, ut nominibus et desiderio eorum qui volunt promoveri publice in Ecclesia propositis de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus et vita a fide dignis diligenter inquirat, et litteras testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes ad ipsum episcopum quamprimum transmittat. »

3° *A suscipiente.* — Tirocinium : videlicet sicut ab iis qui baptisma expetunt, exigit catechumenatum quo est ad baptisma suscipiendos disponit, simul et illorum vocationem probat, ne inconsulto ad societatem adscribantur : ita nec ad ordinis sacramentum sine præcedenti aliquo tirocinio admittitur. Hæc dispositio, hoc tirocinium specialem sumpsit formam circa sæc. VI vel VII. Nam traducta in clerum ad instar monachorum capillorum tonsura, et facta inter clericos et laicos vestium distinctione (laici enim adamabant breviora barbarorum vestimenta, longiores Romanorum vestes clericis manserunt), visum est optimum ut nemo ad ordines promoveretur nisi etiam habitus mutatione clero dignam vitam profiteretur, et quidem apud episcopum a quo stat etiam solemni ritu tonderetur et vestes clericales acciperet.

Hæc clerici inauguratio dicta est prima tonsura, et ritus quidem et dispositio ad suscipiendos ordines. Est ergo prima tonsura « exterior quidam ritus seu cæremonia ecclesiastica qua fidelis jam confirmatur per tonsionem capillorum vestisque clericalis traditionem divino servitio addicitur in ecclesiasticis mini-

steriis, et ad minores ordines suscipiendos disponitur. » Verum in hoc differt a catechumenatu, quod ille ritus statum clerici donet et omnia jura et privilegiæ et officia status clericalis, dum non ita catechumenatus in ordine ad esse statumque christiani. Inde ordo aliquando ipsa tonsura nuncupatur.

II. De observandis in promotione successiva ad altiores ordines.

XI. Olim qui ad unum gradum promovebatur, non ideo censebatur advocatus ad superiores : tantum ubi superior ordine eligendus erat, quandoque ex inferioribus ordinibus eligebatur, is nimirum qui magis dignus et idoneus videretur. Nemo conquerebatur quod diu, quod etiam perpetuo in ordine inferiore ministraret. Contentus munere suo quilibet officium suum exsequebatur. Ita se res habebat sicut hodie, quando episcopus ex presbyteris eligitur. Inter presbyteros episcopus eligitur, non tamen quilibet presbyter ordinatur ut episcopus fiat.

At per antiquas, licet non vetustissimas Ecclesiæ sanctiones, cautum fuit neminem provehi ad gradus superiores nisi fuerit in Ecclesia in inferioribus apprime exercitatus atque probatus, quod factum fuit initio, ne imperiti et rerum ecclesiasticarum ignari ad summum pontificatum prosilirent. Insuper quum officia minorum ordinum non adeo servata certis clericis temporum lapsu sint, sed aliis reddita communia, et aliquando sine discrimine, quum de minoribus ordinibus ageretur, immutata est disciplina et statuti sunt ordines inferiores veluti via ad presbyteratus ascendendum gradum ordinaria et successiva.

Hac facta disciplinæ mutatione ut spiritus et principium vetustæ disciplinæ retineretur, videlicet ut ad

altiora non ascenderet qui in inferioribus non fuisset probatus, aliis abusibus via præcludi deberet, videlicet eorum qui citius quam par esset, et aliquando non servatis singulis ordinum gradibus, vellent ad presbyteratum ascendere : proinde statuta sunt *interstitia* : et ordinatio facta intermedio omisso ordine interdicta est omnino : hæc dicta est ordinatio *per saltum*. De lege interstitiorum Trid. sess. XXIII. c. XI et XVII. De ordinatione per saltum vel præpostero cursu agit Alexander II. can. 1°. dist. 52.

De lege interstitiorum adnota esse quædam intervalla temporis quæ de uno in alium ordinem debent intercedere servanda, non tantum in majoribus, sed et in minoribus ordinibus; sed pro minoribus remissa sunt prudentiæ episcopi.

De lege quæ vetat ordinationem per saltum, nota olim aliquos interdum minores ordines impune omissos fuisse : hodie debent omnes servari. Promotus per saltum, si fraude careat, tamdiu suspenditur ab exercitio ordinis suscepti, quamdiu habetur tempus necessarium ad ordinem quem omisit recipiendum ; et si non ministraverit, poterit cum eo episcopus, ut ait Trid. sess. XXIII. c. XIII, ex legitima causa dispensare.

III. De servandis in actu collationis.

XII. Quoad *ritum*, unusquisque novit : de episcopis videatur Pontificale. Quoad *tempus*, majores ordines ordinario et communi jure non conferuntur nisi diebus determinatis, nempe sabbatis quatuor temporum, sabbato sancto, et sabbato ante Dominicam Passionis. Animadverte qui extra tempora ordines suscipit præfinita, ordines susceptos exercere, et episcopus qui in illam legem peccavit, ordines conferre prohibetur (c. II. de tempor. ordinat.).

Contra minores ordines qualibet die festo de præcepto, etiam extra missam, sed ante meridiem conferuntur.

Quoad *locum* : dignus ordinatione locus est Ecclesia cathedralis. Hoc autem potissimum in collatione ordinum majorum observatur.

IV. DE JURIBUS ET OFFICIIS ORDINATORUM.

XIII. Ordo sacer unum ex his tribus sacramentis est, quæ characterem imprimunt. Character autem qui huic sacramento respondet est signum aliquod spirituale in animo impressum, saltem per totam hanc vitam permanens, quo homo in gradu ministrorum Ecclesiæ collocatur. Et licet non omnes ordines sint sacramenta, saltem nil de fide quoad plures sit definitum, tamen ob analogiam ad jus divinum ad cujus imitationem Ecclesia inferiores ordines discrevit et instituit, placuit eidem Ecclesiæ ad eamdem imitationem hanc notam, hunc internum statum considerare, ita ut iterare non permittat. Quod autem se res ita habeat, patet exemplo primæ tonsuræ. Ecquis inficiat ibi hanc esse de mera institutione ecclesiastica? ecquis putet esse sacramentum stricto sensu? Tamen ob relationem quam habet ad sacramentum ordinis, eam iterare non sinit. Si quis clericus simplici tonsura initiatus clericali statui nuntium miserit, si tamen facti pœnitens iterum in clerum admittatur, non iterum inauguratur ritu primæ tonsuræ, sed quasi e postliminio reversus, non tam novus clericus censetur quam veterem clericatum non amisisse.

Hæc quum ita sint, quum Ecclesia credat per ordinum collationem nasci quemdam internum statum per totam hanc saltem vitam permanentem, qua homo

jurium et officiorum fit particeps, quæ gradui ministrorum Ecclesiæ ecclesiasticorum magistratuum respondent, debuit hoc externa etiam disciplina profiteri : ergo ecclesiastica disciplina agnita, statuta, declarata sunt jura et officia clericorum, quæ interno eorumdem statui respondent, et unde externus clericorum status in ecclesiastica œconomia resultat. Nonnulla de his animadvertebam in tractatu de statu personarum Ecclesiæ, cætera tractatui speciali reservans. Hunc temporis angustiæ vetant : ergo capta occasione sacramenti ordinis pauca de juribus, de officiis, de duratione status clericalis, in appendice dicam.

APPENDIX.

I. De officiis.

XIV. Alia generalia, alia specialia.

Generalia possunt apprehendi tanquam media ad finem necessaria ad quem institutus est status clericalis. Finis est ut ea qua par est sanctitate et quo decet decore christianæ familiæ præsint in ministeriis cultus divini. Ergo quidquid est necessarium ad hoc ut clerici his ministeriis sancte incumbant, et ita christianæ societati et omnibus concilient divini cultus venerationem, id clericis præcipitur; quidquid contra notabiliter distrahit, multo magis si avertat absolute a ministerii sanctitate, id eis est vetitum prout suscepto ordini repugnans, et minuens penes laicos venerationem sacris eorum ministeriis debitam. Ad rem facere videtur Trid. Conc. sess. 22, de reform. c. 1 : « Nihil est quod aliis magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum qui se divino ministerio dedicarunt. » Quænam fuerint ex principio semel jacto derivatæ canonum sanctiones,

in specie vobis jam notæ sunt. — 1° Aliæ spectant ad interioris animi culturam; 2° aliæ ad externam morum compositionem.

Quæ spectant ad interioris animi culturam, alia pertinent ad culturam intellectus, ut scientiæ sacræ se dedant clerici, alia ex parte voluntatis, ut id omne a se rejiciant quæ possent clericorum animum a divino servitio abstrahere, et sæcularibus rebus et negotiis devincire.

Ad externam morum compositionem ea omnia referuntur quæ, licet per se non requirantur, et indifferenter quodammodo se habeant ad interiorem clericorum profectum, et nullam habeant immediatam relationem cum decoro functionum clericalium exercitio, requiruntur tamen ad hoc ut laici ex ipso exteriori cultu, incessu, conversatione, habitu, reverentiam erga vitam clericalem eorumque ministeria concipiant.

Hæc omnia minutius exponere puto superfluum, quia jam nota, et melius nota erunt in sublimiori canonum disciplina, quando sermo erit de titulo : De vita et honestate clericorum.

Specialia sunt quæ variis clericorum gradibus respondent, et sunt 1° ordinis exercitium; 2° cælibatus; 3° officium divinum, de quibus antea breviter locuti sumus, et fusius agitur in tractatione speciali, seu in expositione textus.

II. De juribus status clericalis.

XV. Jura status clericalis 1° alia ex jure dogmatico absolute et immediate derivant, 2° alia habent quoddam fundamentum et quamdam convenientiam cum

jure dogmatico, sed ex jure disciplinari potissimum determinata sunt.

1° Ex jure *dogmatico* clericis spectat 1° Jus præfecturæ in Ecclesia, et 2° Jus alimentorum de bonis Ecclesiæ huic respondens.

1° Jus *præfecturæ* in Ecclesia consideratur quoad duo : 1° Quoad cultus divini ministeria, qui respondet potestati Ordinis; 2° quoad externum regimen societatis christianæ. Utrumque hoc jus in suo genere connectitur statui clericali : quum enim respublica christiana sit respublica religiosa, eos vocavit ad regimen reipublicæ, quos præfecit sacris : at in specie duo sunt notanda :

1° Quod licet cœtus clericalis respectu cœtus laicalis præsit, non tamen singuli clerici præsunt, nec eodem modo. Nam in ministeriis cultus divini ii qui proprie præsunt sunt episcopi et presbyteri : reliqui nonnisi improprie, quatenus propinquioribus vel remotioribus officiis presbyteris et episcopis ministrantibus deserviunt. Quod vero pertinet ad regimen societatis christianæ, exceptis R. P. et episcopis qui juxta gradus distinctionem jure originario Ecclesiæ regimini sunt præpositi, reliqui non possunt nisi quod mandatum vel a jure vel ab homine est.

2° Sed quum cœtus præsit, fit ut omnes qui ad hunc cœtum spectant, sint subjectum ordinarium mandatæ etiam jurisdictionis, laici nonnisi extraordinarium.

2° *Jus alimentorum* huic præfecturæ respondet. Qui enim bono communitatis deserviunt, æquum est ut ab eadem communitate honestam capiant pro suo officio sustentationem. Eodem igitur jure, licet sub eodem respectu quo princeps reipublicæ et provinciarum gubernatores et officiales et milites jus habent ut de

bonis status alantur et ex iis capiant quod spectat ad decoram et relativam suam sustentationem, eodem, inquam, naturali jure ut de Ecclesiæ proventibus sustententur. Hic spectant illa Pauli : « Nemo militans militat suis stipendiis unquam. » — « Qui altari inservit de altari vivere debet. » — « Si nos spiritualia vobis seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? »

XVI. Sed alia quædam jura sunt quæ, licet cum jure dogmatico magnam convenientiam servent, tamen de *jure* potius *disciplinari* ecclesiastico inducta videntur. Sunt autem 1° jus immunitatis, 2° jus seu privilegium canonis, 3° jus seu privilegium competentiæ, 4° nonnulli addunt et jus peculii.

1° *Immunitas* idem est ac exemptio, subtractio, libertas ab aliqua re : in casu nostro a laica jurisdictione privilegium hoc immunitatis pertinet sive ad personas sive ad res ecclesiasticas : unde audit *Personalis, Realis,* nonnulli addunt *Localis;* sed hæc est species Realis immunitatis. Modo agimus de personali, seu de exemptione quæ clericis competit a laica potestate.

Origo hujus privilegii in magnam cadit controversiam inter theologos et canonistas.

Sunt qui putant cum Suarez in defensione catholicæ fidei de jure divino immunitatem hanc oriri. Potissimum opinionis suæ auxilium seu præsidium requirit in constanti et perpetua traditione, quæ nec apostolicis institutionibus tribui possit. Atqui eam dicit intervenire in casu; ergo deducit prodere jus divinum. Deinde ut præveniat objectionem quæ fieri posset quoad tempora persecutionis, distinguit jus ab ejus exercitio : dicit specialem temporis conditionem

prohibuisse exercitium, sed mansisse jus, quod licet executioni mandari non potuisset respectu magistratuum infidelium, curarunt tamen Ecclesiæ prælati executioni mandare respectu fidelium quo fieri potuisset. Ad id probandum adducit Pauli verba (I *Tim.*, v) : « Adversus presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus vel tribus testibus. »

Sed contra sentit Bellarm. lib. I de Clericis c. 28 : « Non sunt exempti clerici ab obligatione legum civilium quæ non repugnant sacris canonibus vel officio clericali... Nam clerici, præterquam quod clerici sunt, sunt etiam cives, et partes quædam reipublicæ civilis. Igitur ut tales debent vivere civilibus legibus... alioquin magna perturbatio et confusio in Ecclesia orietur, si clerici non servarent civiles leges in commerciis civilibus et humanis. » Deinde allegat varias auctoritates ut probet limites duarum potestatum civilis et ecclesiasticæ, ut probet clericos respectu civilium legum esse subditos et iis parere debere... licet explicet mentem suam dicendo obligatione directive, non coactive, teneri clericos legibus civilibus; proinde si deliquerint, non a laico sed ecclesiastico judice esse puniendos.

Similiter Natal. Alex. hist. Eccl. sæc. XV et XVI, c. 7 : « Immunitatem ecclesiasticam quoad spirituales causas et mere ecclesiasticas juris divini esse fateor; sed quod spectat causas temporales et profanas, ut solutiones debitorum et criminum quæ a viris ecclesiasticis, non quatenus clerici, sed quatenus homines sunt improbi, committuntur, eorum immunitatem juris divini esse concedere non possum. »

In tanta summorum hominum discordia non recensui hoc privilegium inter ea quæ juris divini sunt

clericis concessa, et ab ipsis opinionibus hinc inde citatis instructus quod nec omne ad jus divinum in hoc privilegio referendum est, nec totum ad jus humanum, sed primo loco recenseo inter ea quæ fundamentum et convenientiam quidem habent cum jure divino, sed jure humano statuta sunt, et ita mihi videor cohærere Conc. Trid. sess. 25, c. 20, quod utrumque elementum sive juris divini sive humani in hujus juris constitutione animadvertit quum dicat : « Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitas Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constituta est. » — Hoc autem sic explico : Clerici considerari possunt qua clerici et qua cives. Qua clerici jure divino eximuntur absolute a potestate laica cui nulla competit jurisdictio in res spirituales. Hæc facit distinctio Natalis Alexandri. Qua cives, absolute loquendo non censentur immunes nisi eximantur, et huc spectat Bellarminus.

III. De duratione status clericalis.

XVII. In charactere sacramentali duo mihi videntur deprehendere :

1° Internum quemdam statum supernaturalis ordinis saltem per totam hanc vitam permanentem, quo homo quarumdam facultatum et quorumdam officiorum particeps redditur coram Deo.

2° Ordinem quemdam ad statum occupandum coram Ecclesia, qui interno illi statui respondeat.

Ergo ex sacramentis qui imprimunt characterem duplex nascitur status : *Internus*, *Externus*. Alter ad alterum relationem dicit, et velut forma et anima est. Sed alter absolute ex jure divino descendit, alter ex jure divino in genere requiritur, sed in specie relin-

quitur ecclesiasticæ disciplinæ moderandus. Ecclesia alterum credit tanquam invisibilem, alterum velut visibilem determinat et gubernat. Porro triplex sacramentum est quod characterem exprimat : Baptisma, confirmatio, ordo : ergo ecclesiastica disciplina determinatus est status seu complexus jurium et officiorum quæ vel generali baptizatorum conditioni, vel speciali confirmatorum, vel specialissimæ ordinatorum respondet.

Verum quum character confirmationis habeatur velut perfectio characteris baptismi, non triplex recensetur generalis christianorum status, sed duplex, alter, simplicium christianorum, qui characteri baptismatis et confirmationis, alter, clericorum, qui characteri ordinis respondet.

Jamvero quum hic externus status interno illi respondeat ex indole sua, perpetuus censetur, sed quum ex alia parte non sicut ille jure divino absolute regatur, sed jure disciplinari moderetur, alicujus modificationis per accidens fieri potest particeps quo vel minuatur vel tollatur absolute. Hæc mutatio autem.

1° In pœnam potest contingere quoad utrumque statum,

2° Ex voluntate clerici aliquando quoad statum clericalem.

XVIII. 1° *De mutatione status in pœnam.* — Objectum systematis pœnarum spiritualium Ecclesiæ, ut scitis, sunt potissimum jura christianæ communionis vel generalis vel specialis, seu jura status christiani vel clerici : ergo in pœnam quemadmodum possunt hæc jura vel suspendi quoad exercitium, vel tolli, vel omnia suspendi et tolli vel in partem, tempore vel determinato vel indeterminato vel etiam perpetuo, ita ex-

ternus christiani status vel generalis vel specialis pluribus modificationibus subesse potest, ut vel partim vel ex integro minuatur vel tollatur.

Suspendi igitur possunt jura christianæ communionis vel generalis quæ, quum sola competat laicis, sumit nomen speciei et dicitur laicalis, vel specialis, quæ clericalis est. Suspensio hæc in primo casu dicitur *excommunicatio* quæ vel *major* vel *minor* est, prout vel omnium vel aliquorum jurium exercitium suspendit. Suspensio hæc in secundo casu dicitur *suspensio*, quæ pari modo vel *totalis* vel *partialis* est.

Hæc pœna minuit statum, quatenus impedit exercitium illius : non tollit.

Tolli possunt jura sive generalis seu laicæ communionis, et clericalis communionis. In primo casu dicitur *anathema*, in alio dicitur *depositio* vel *degradatio*.

Anathema est pœnarum omnium atrocissima et summa, et dicitur *excommunicatio mortalis* ut a simplici excommunicatione distinguatur, et *excommunicatio ad interitum*. Hæc segregat hominem ab omni communionis jure, tanquam de eo nulla amplius spes affulgeat emendationis. Indicitur in hæreticos universos, et in eos qui claves Ecclesiæ contemnunt omnino, et sunt in ipsa excommunicatione pervicaces, quales sunt qui sine mœrore per annum in excommunicationis censura constiterunt, et propterea dicuntur *insordescentes in excommunicatione*. Est ergo *absoluta separatio rei alicujus criminis a corpore Ecclesiæ*. Status christianæ communionis tollitur.

Depositio est ejectio seu positio de gradu clericali unde, et *degradatio* a veteribus vocabatur. Sed hodie *depositio* a *degradatione* distinguitur tanquam distinguitur *partialis a totali* ejectio et positio de statu ele-

ricali : prima illa relinquit clerico privilegium canonis et fori, hæc omnia tollit jura clericalia. In specie vero variæ dantur degradationis et depositionis species.

Depositio ipsa in specie sumpta potest esse vel partialis, videlicet positio de gradu altiori ad gradum inferiorem, manente communione clericali in suo genere, et solum imminuta in specie quoad determinatum aliquem gradum.

Degradatio vero quæ absolute rejicit clericum in laicam communionem potest esse vel *verbalis* vel *actualis* seu *realis* : ita Bonif. VIII. — *Verbalis* est ipsa prolatio sententiæ per quam judex ecclesiasticus clericum ejicit de gradu, et foro *laicali* addicit. Hæc non sufficit ut canonis privilegium amittatur. — *Realis* est lugubris et solemnis cæremonia qua ab ecclesiastica auctoritate clerico detrahuntur sui ordinis insignia gradu inverso quo ordinatione illi tradita sunt, et ita coram facie Ecclesiæ redigitur ad meram communionem laicalem. Non secus milites detractis insignibus militaribus exauctorantur. Hæc vero cæremonia quoad minores ordines et primam tonsuram pluribus in locis remissa est.

Ita videtis quomodo licet acquisitus per characterem sacramentalem, internus clerici vel christiani hominis status, licet indelebilis, nulla diminutione capax et inamissibilis, externus qui illi respondet in ecclesiastica disciplina potest in pœnam ita minui, ut episcopus etiam, qui supremum obtinet gradum in hierarchia ordinis clericalis, externo statu, etiam simplicis laici, in Ecclesia privari potuit.

Oportuit simul conjungere tractationem de amissibilitate status clericalis et status christianæ commu-

nionis laicalis, sive ut agnosceretis durationem status qui ex baptismatis susceptione consequitur, de quo non dixi supra, sive etiam ob integram tractationem de duratione status clericalis. Licet enim ordinario status clericalis ita minuatur ut non tollatur status christianæ communionis, aliquando vero ablata christiana communione potest implicite tolli status clericalis velut a fortiori ad minus, quod in casu anathematis accidit.

XIX. 2° *De mutatione status ex voluntate clericorum.* — Hac in re non possumus loqui de christiana communione generali quæ laica dicitur; hæc enim præceptiva est, et non potest voluntate christianorum minui : non datur hæc libertas.

Sed hoc evenire potest quoad statum clericalem. Hoc in re distinguere oportet statum clericorum minorum a statu clericorum majorum; ille enim hypotheticus quodammodo est; hic vero absolutus. Hoc patet ex ipsis verbis Episcopi dicentis ad ordinandos : « Adhuc liberi estis; licet vobis ad sæcularia vota transire. » Unde videtur status ille clericalis, qui hypotheticus erat in minoribus ordinibus, « licet vobis, etc., » evadere absolutus per susceptionem ordinum majorum : « Si hunc ordinem susceperitis, amplius non licebit et proposito resilire, sed Deo, cui servire regnare est, perpetuo famulari oportebit, et in Ecclesiæ ministerio semper illi mancipari. » Hoc posito, distingui debet status clericalis inauguratus prima tonsura a statu clericali confirmatus ordinum minorum susceptione.

In *secundo* casu, nempe si agitur de *clericis majoribus*, non licet statum deserere quoad officia, ut aliquando licet aliquibus juribus statui competentibus

renuntiare vel omnibus. Habemus exemplum in episcopis qui humilitate compulsi aliquando dignitatem episcopalem abdicarunt, et regularem institutum amplexi sunt. Hujusmodi episcopi, etiam obtentis dimissoriis a proprio episcopo, si renuntiaverint simul et loco et dignitati, non admittuntur ad majorum ordinum collationem. (C. I de ordinatis ab ep., qui renuntiarent.)

In *primo* casu, scilicet si sermo vel de *ordinibus minoribus*, tunc potuit aliquando facto ipso tolli vel suspendi status clericalis. Hoc contingit 1° matrimonio, 2° dimissione tonsuræ et habitus clericalis. Sed in 3° casu oportet distinguere an clericus sit bigamis nec ne. Si ut bigamus, amplectitur statum incompatibilem cum statu clericali. In concilio Lugdunensi II declarati sunt privati omni privilegio clericali, et prohibitum est iis deferre tonsuram et habitum clericalem sub anathemate. In secundo casu clericus statum non amittit, licet nonnullis juribus, manente statu matrimonii, privetur : ex. gr. quod non possit habere beneficium, nec ad sacros ordines ascendere.

2° Quod vero spectat ad dimissionem habitus et tonsuræ (dummodo per declarationem factam servatis servandis, privilegiis clericalibus non sint privati) non ideo censentur statum clericalem amittere, sed solum suspendere ejus exercitium. Dixi non amittere, quia excepto privilegio fori (quod ex parte jus clerici, non officium est) cæteris gaudent juribus clericalibus, et adhuc clerici censentur, licet quorumdam jurium dimissione manente, non habeat exercitium. (Vide Bened. XIV. de syn. l. 12, c. 2.)

CAPITUL. VI.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

In duplicem partem dividitur tractatus de matrimonio : nempe

1° In Generalem. et 2° Specialem.

1ª Pars aget de matrimonii natura, et relationibus sive ad ecclesiasticam sive ad civilem societatem.

2ª Pars aget : 1° de disciplina Ecclesiæ in ordine ad matrimonium contrahendum ; 2° in ordine ad matrimonium contractum.

Pars prima, sive Pars generalis.

1° De natura matrimonii ; 2° de relationibus matrimonii ad civilem et ecclesiasticam societatem.

A. DE NATURA MATRIMONII.

Natura matrimonii considerari potest sub triplici aspectu :

1° In primæva sua institutione, integra manente hominis natura.

2° A lapsu primi hominis ad Christum, vel in sua degradatione.

3° De Christo ad nos — aut in sua restauratione.

I. De institutione matrimonii.

I. Nullibi melius deprehendere possumus institutionem matrimonii quam in Genesi, ubi præstat historiæ veracitas, et fides divinæ inspirationi debita invenitur.

Gen., II, 18 : *Dixit Deus : Non est bonum esse hominem solum ; faciamus ei adjutorium simile sibi..... ; immisit ergo Deus soporem in Adam ; cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea, et*

ædificavit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem, et adduxit eam ad Adam; dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea... Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adhærebit uxore suæ, et erunt duo in carne una.

Ibid., I, 28 : *Benedixitque illis Deus et ait : Crescite et multiplicamini, et replete terram.*

Observa :

1° Matrimonium est quædam *societas*; nam Deus movetur ad creationem mulieris ut inveniatur adjutorium, vel socius aliquis Adamo similis, et ita vitæ solamen et amicitiæ societatem possit obtinere. Ergo finis principalis hujus societatis consortium vitæ et mutuum adjutorium est.

2° Poterat vero homo provideri de hoc adjutorio per creationem alterius viri. At non ita; Deus in adjutorium viri, creat fœminam; unde datur intelligi alter scopus, sin minus primario, saltem secundario intentus : Sobolis procreatio quæ desiderat societatem inter utrumque sexum. Adam enim dixit : *Erunt duo in carne una* [1].

Ex hoc consequitur officium conjugum impendendum pro physica et morali filiorum institutione. Physica : ob naturalem hominis nascentis egestatem, quam cum nonnullis animantibus habet communem;

[1] Crescite et multiplicamini, et replete terram. Hæc verba, omissa questione an sint præceptiva, vel non; an fuerint præceptiva pro primo connubio et primis illis hominibus, an pro omnibus et pro omnibus connubiis; pro omnibus in genere vel pro omnibus in specie; vel potius sint fecunditatis impertitio et benedictio fecundatarum nuptiarum. Etenim ad cætera animantia præcepti incapacia directa sunt. Certum est quod 1° demonstrent intentionem Creatoris; 2° dent jus.

Moralis : ob naturam rationalem. Alterutra omissa, finis Creatoris non obtineretur, nam vel soboles moreretur, vel esset soboles bipedum implumium, non entium naturalium.

3° Mulier non de terra, sicut Adam, sed de costis ejus in sopore Adami efformatur. — Dependentia mulieris de viro, sed dependentia amoris, ut os de ossibus, et caro de carne sua. Ita Adam a Deo inspiratus.

4° Hæc societas est : 1° inter unum et unam ; 2° inter quos nulla est propinquitas generationum causa orta ; 3° immediate ab ipso Deo instituta, proinde hominis libitu et abitrio non solvenda.

Hoc clarius fit ex Adamo : Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem *et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una :* ubi 1° uxor una et homo unus nominatur ; 2° hæc uxor non de propinquis sumpta dicitur ; ut enim illi adhæreat, relinquet patrem suum et matrem ; 3° illi adhærebit sicut duo in carne una, quæ sine morte divelli et separari non potest, et vir adhærebit mulieri tanquam pars inseparabilis ab ipsa.

Hæc autem quum bene cohæreant cum scopo primario hujus societatis ; patet 1° Amorem et confidentiam conjugalem cum verecunda charitate propinquorum non consociari ; 2° Amor autem tendit exclusive ad objectum amatum, nec vult habere compossessores, comproprietarios, ne totius boni possessione privetur ex aliorum consortio ; vult totum pro toto ; tendit ad perfectam imitalem similitudinem cum objecto amato. Quapropter polyviria vel polygamia adversarentur fini præcipuo seu amicitiæ ; 3° Amor de natura sua vult esse perpetuus. Nemo sibi præfinit

quodam determinato tempore amandum, sed cum industria naturali removet, et abstrahit ab omni illo quod posset amorem, etiam quoad aliquod tempus removere, et considerat objectum tanquam semper amandum.

Adde quod solus timor separationis a libero et confidentiali consortio removeret.

Contrariatur etiam alteri fini, videlicet procreationi sobolis, quia polyviria infæcunda est, et reddit dubiam filiationem ; polygamia autem inquietam.

Solutio non potest consociari cum relationibus omnibus moralibus quæ inter parentes et liberos nascuntur pro illorum recta institutione physica et morali, quæ imprimis patris, et matris affectum, requirit ad externam, et internam familiæ tuitionem et gubernium.

Completa vero educatione, ipsæ relationes filiorum in parentes supponunt familiam, vinculum, societatem inter eos perdurare. Pecudes quæ sunt capaces instinctus, non *amoris*, quarum mater sufficit physicæ sustentationi filiorum, quarum proles moraliter instituenda non est, nec morales ex earum connubiis oriuntur relationes, non servent nec monogamiam, nec indissolubilitatem.

Ergo ex hac primitiva matrimonii institutione, possumus illud ita describere : *Maris et fœminæ societas individua ad reciprocum vitæ solamen et adjutorium, a Deo certis legibus instituta, et ad filios procreandos et instituendos secundum easdem leges directa et benedicta.*

Societas : Genus proximum. Conjunctio plurium entium liberorum in finem communem.

Maris et fœminæ. — Subjectum, seu membra societatis, diversitas sexuum et unitas seu monoviria et monogamia.

Individua. — Indivisibilis, sive absolute rumpendo vinculum sive protrahendo vinculum ad alias personas, præter unum et unam.

A Deo certis legibus immediate instituta. Unde obtinet typum religiosum præ cæteris contractibus et societatibus.

Ad reciprocum vitæ solamen. Est enim amicitia finis essentialis hujus societatis. Non sic procreatio; non enim in copula est conjugium : nuptias non concubitus, sed consensus facit. Sed ordo ad generationem est huic societati naturalis, nam est instituta tanquam medium propagationis. Sed actus non est præceptus, sed natus ipso instinctu natura. Sed manente fine essentiali, possunt conjuges huic renuntiare. (Maria et Joseph — Senes, steriles.) Si fiat, suis legibus gubernatur : aliud finis a natura intentus in communi, aliud ab individuo. In communi, intendit progeniem, sed non ita ut sine ea non coexisteret matrimonium.

II. De degradatione matrimonii.

II. Diu non stetit indoles primitiva matrimonii; non tamen quod objective matrimonii natura, et lex illi respondens et ex ea profluens immutari potuerit, sed quatenus per peccatum degradata, natura impar quodammodo effecta est, quæ illius primitivæ institutionis sanctitatem servaret, legemque illi respondentem adimpleret. Namque, attenuatis per peccatum viribus intellectus et voluntatis, impares effecti sumus qui universam legem naturalem concipere, illamque adimplere possimus.

Jam vero juris naturalis non exigua pars est jus matrimoniale, et si quæ juris naturalis pars est cujus respectu naturæ nostræ inordinatio potest speciali

quodammodo considerari, et circa quam homo magis suam imbecillitatem sentit et experitur, profecto est jus matrimoniale. Nam si tristior peccati originalis effectus, et potissimus, inordinata concupiscentia est, si hæc inordinatio nullum appetitum sensibilem urget communius et pervicacius præ appetitu procreationis sobolis, si hic appetitus ad usum conjugalem ordinatus est, debuit matrimonium speciali quodam modo, naturæ humanæ degradationem sentire, debuit intemperantis incontinentiæ vitiatæ naturæ specialem sentire difficultatem, ut matrimonii honestatem servaret, debuit jus naturale in ordine ad matrimonium, fascinato hominum intellectui, et cœcæ hominum voluntati speciales obvolvere difficultates, et fieri degradatæ hominum conditioni improportionata indoles connubii, quod in natura integra et innocenti institutum est.

Ergo :

1° Conjugium incipit amittere *suam exclusivam unitatem* : Libido hominum quæ honestatis mota est transcendere limites, unius uxoris usu non satisfit, non satiatur; nam amori consociata, qui est diffusivus sui, et desiderium informans, quod natura sua, possessione boni concupiti non satiatur, sed inflammatur magis, ut alia exoptet ubi tandem consistat, devincta volubili hominum natura quæ facile consueta fastidit in, nisi superiori aliquo principio contineatur, incenditur magis cum usum experta est, et difficilius continetur. Ergo facile fuit monogamiam in bigamiam vertere; bigamiam facile indeterminata polygamia excepit. En primum stadium degradationis matrimonii.

2° Imminuto par polygamiam amore conjugali, fa-

cile fuit conjugis societatem fastidire; inde amisit conjugium *suam perpetuitatem*. Proinde polygamiam excepit repudiorum et divortiorum licentia, frequentia et libertas. Libido facile suasit novas post divortium nuptias, quasi primum vinculum solutum foret. En alterum depravationis gradum.

3° Ex hujusmodi malorum frequentia, ex quibus pro lubitu ducebantur et dimittebantur uxores, videtis charitati et amori conjugali, libidinis amorem, societati permanenti momentaneum passionis æstum, ita succedere, ut libidinis adimplementum pro lege nuptiarum haberetur. Ergo parvipensa sunt nuptiarum onera, dummodo finis ille obtineretur. Inde prodiere incestuosæ et omnis generis nuptiæ nefariæ... usus nuptiarum contra ipsam naturam... demum ipsarum nuptiarum fastidium, et horror ex principio, quando sine gravamine nuptiarum, posset pro lubitu expleri libido. En ultimum gradum depravationis matrimonii, quo societas abhorret a conjugio ex principio, vel ita utitur conjugio, ut studeat vitare ex arte filiorum procreationem, unice intendens ut libido, quo fieri possit nefario modo, expleatur.

Hæc tria stadia degradationis societatem percurrisse ante adventum Domini, non obstante ethica philosophia et civili cultura, cunctis est notum qui paulisper in historia, præsertim ethnicismi, versati sint.

III. Sed Deus connubii institutor, passus non est integre deperire ex vitiis hominum opus suum. Jam tum in veteri Testamento viam parabat restauratione connubiorum, quæ per Christum erat consecutura. Hoc fecit præservando sibi quemdam populum per gratiam suam, qui a generali morum colluvie per orbem terræ diffusa eriperetur.

Hoc assecutus est : 1° Inspirando patriarchis morum sanctitatem. 2° Post varias familiarum dispersiones, excitando Moysen, cujus opera populum hunc electum, in nationem erigeret, quæ revelationis Dei custos esset, promissionum Dei expectatrix, Religioni et legi addictissima.

Sed gratiæ plenitudo novæ legi servabatur. Quapropter sicut humana natura ante Christum, ultimum suæ restaurationis gradum non obtinuerat, ita et matrimonium, ad suam primitivam institutionem restitutum non est, licet a malis gravioribus contineretur, et ad completam suam restaurationem disponebatur.

Namque patriarchas scimus fuisse polygamos. Mitto theologis ut investigent specialem dispensationem Dei, quæ cum illis sanctissimis viris a Deo facta sit, mitto ut quærant speciales fines ad quos eorum polygamiam ordinaverit.

Certum est quod patriarchæ, licet speciali providentia Dei a gentium illecebris præservati, tamen, generatim loquendo, ad primitivi connubii excellentiam non pervenerunt. Amiserunt monogamiam ; sed conjugii honesti cæteras dotes, et multo magis essentiam servaverunt.

Finis autem potissimus missionis Mosaicæ fuit, ut populus hæbreus ab idololatria averteret, et in medio idololatriæ vivens, fidem unitatis et simplicitatis Dei servaret, et sic paulatim tanquam a pedagogo ad Christum duceretur.

Porro ad hoc obtinendum, se juvabat Moyses exemplo patriarcharum, et promissionum memoria quæ sanctissimis illis viris a Deo, eorumque posteritati facta erant, ita ut Hæbrei in patriarchis, veluti vivendi exemplum imitarentur. Ergo non poterat ab-

solute prohibere polygamiam, sed indirecte fovebat monogamiam,

1° Notando Lamech primum polygamum, tanquam pessimum nepotem stirpis Caïni.

2° Exhibendo monogamas : Noe et tres filios, Sem, Cham, Japhet, qui soli a diluvio servati sunt.

3° Notando discordias, rixas inter Sarai et Agar, inter Isaac et Ismael, non obstante quod bigamiam Abrahæ inducat cujusdam formæ sui generis, ita ut potius in gratiam uxoris sterilis, sine ulla inordinatione affectus Abrahæ, videatur Agar ancilla ad concubinatum assumpta, quam electa ut uxor cumprincipalis.

4° Constituit ut vir polygamus deberet omnibus uxoribus debitum reddere nec ancillis exceptis, ita ut si secus fieret, libera evaderet.

5° Deuter., XVII, 17 : *Prohibet ne rex habeat uxores plurimas quæ alliciant animam ejus*, etc.

Alia hujusmodi videre est in libris Moysis, quæ cum ex alia parte demonstrant Moysem, pro populi indole cui legem dabat, absolute non prohibere polygamiam : hujus enim legis adimplendæ par non fuisset populus judaïcus ; ex alia vero omnia eo conducit ut demonstrent polygamiam non esse statum normalem conjugii, sed anormalem.

Non dissimili œconomia Moyses usus est quoad divortium. Hac etiam in re lex erat populi viribus aptanda quibus dabatur. Dura Hæbreorum cervix male sustinuisset legem absolutæ perseverantiæ connubii. Facilitas dimittendi uxores ex ipsa polygamia orta, ut supra positum est, in populum hæbreum irrepserat. Si Moyses prohibuisset divortium, lex uxoribus interficiendis occasionem dare potuisset. Quid ergo Moy-

ses? Ipse non debet gubernare homines prouti esse deberent, sed prouti sunt. Cum non possit ad perfectionem adducere, curat a pravioribus malis continere.

Assumendo ergo divortium prouti in facto positum erat, curat ut rarius fiat, et ita hanc rem moderatur ut tatis indicet matrimonii vinculum non dissolvi.

C. XXIV, Deuter. : *Si acceperit homo uxorem et habuerit eam, et non invenerit gratiam aute oculos ejus, propter aliquam fœditatem* (id est : Vel ob adulterium, vel ob alias causas, unde damnum filiis, vel dedecus marito posset imminere; ita communiter; malum hoc non tantum physicum, sed morale intelligetur) : *scribet libellum repudii, et dabit in manu illius et dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque aderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem; quia polluta est et abominabilis facta est coram Domino; ne peccare facias terram tuam quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam.*

Levit., XXI, 7 : *Scortum et vile prostibulum* (sacerdotes) *non ducent uxores, nec eam quæ repudiata est a marito, quia consecrati sunt Deo suo.*

Ex his patet :

1° Uti observat Augustinus, quod cum Moyses non potuisset, ob duritiam Hæbreorum, cohibere malum, curat illud coarctare quo melius potest. Huc tendit libellus repudii, qui in scriptis, coram scribarum numero, et duobus testibus scribebatur... Circumstantia omnes quæ fecissent, ut in æstu iræ et indignationis, sed animo pacato et majori consideratione accedente, repudium difficilius fieret.

2° Mulieri repudiatæ iterum nubenti, non infliget pœnam lapidationis ut adulteris, quia per novum coitum, postquam a viro discesserat, non poterat turbare jura successionis, jura sanguinis, quod damnum potissimum ex immoralitate procedens, lex illa punitiva spectabat.

At secundi conjugii, vivente priori viro, immoralitatem manifestat, quando dicit fieri per illud, mulierem *pollutam* et *abominabilem coram Deo;* licet eis, opinione populi, non haberetur ut adultera coram hominibus; sed tanquam scortum, vel prostibulum, a sacerdotibus Deo consecratis duci non debere.

Profecto hæc ostendunt vinculum indissolubile matrimonii esse juxta jus abstractum et perfectum; licet Hebræorum moribus illius observatio non posset obtineri. Unde oriebatur lex mosaïca, tanquam lex non *dogmatica*, sed *disciplinaris*, qua majus bonum quod juxta circumstantias posset obtineri, obtineretur; majus malum quod posset vitari, vitaretur. Ita lex ipsa, in concreto et relative ad circumstantias perfecta erat, quia eam perfectionem obtinebat, quæ potuisset, inspectis viribus populi, et vires subditorum hoc modo exhauriebat.

Ita jus mosaïcum continebat populum in ordine ad primum et secundum stadium depravationis connubiorum. — Tertium stadium degradationis prohibuit et cohibuit omnino, interdicendo absolute connubia inter proximos consanguineos et affines, et usum nefariæ et vagæ veneris prohibebat absolute.

Sed præterea duo habuit specialia capita legislatio mosaïca in ordine ad matrimonium:

1° Ut matrimonia inter populum judaïcum continerentur respectu gentium.

2° Ut matrimonium in eadem tribu contineretur respectu ad alias tribus.

Primum impedimentum habuit pro fine, fidei conservationem, quæ, inita cum gentibus societate facile deperiisset : Nota effectus connubiorum inter filios Dei et filias hominum.

Alteram ad pacem conservandam, ne si matrimonia exirent de tribu, quæstiones orirentur de proprietatibus. Hæc erat et causa quare Levi jussus est matrimonium contrahere cum uxore fratris sui, ut semen excitaret fratri suo.

En quousque profecit ex una parte degradatio naturæ matrimonii, ex altera initia reparationis ejusdem ante Christi adventum. Integra matrimonii restauratio servabatur Christo.

III. De restauratione matrimonii.

IV. Quærebant a Christo Pharizæi (Matth., XIX): *Si licet homini dimittere uxorem suam, quacumque ex causa?* Non dubitabant, ut videtis, an liceret dimittere, sed de causis dimissionis; secundum varias sectas tunc temporis in judæo populo vigentes, dissecabantur, et ita tentabant Christum capere in sermone, ut videlicet doctrinam Christi, in maximam illius temporis quæstionem adducerent.

Præsensit Christus, divina qua pollebat sapientia pravam pharisæorum animam; intuitus est erroneum suppositum quod latebat in mente, quoad matrimonii naturam, unde quæstiones de divortii causis in infinitum augebantur; sciebat quod licet quæstio de dimissione uxoris, per se considerata, poterat esse mere disciplinaris, attamen considerata prouti erat moribus Judæorum recepta, in quæstionem de monoga-

mia et indissolubilitate matrimonii facile convertebatur. Nam per repudium licebat sive viro, sive mulieri, sive dimittenti, sive dimissæ, sine delicto legali adulterii ad novas nuptias convolare.

Ergo optimum duxit pharisæos revocare ad primitivam institutionem matrimonii, tanquam ad fundamentum solutionis totius controversiæ.

Non legistis, inquit, *quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Videlicet: scitis a prima fronte librorum sacrorum, a primis capitibus Geneseos, matrimonium non fuisse societatem ad hominum lubitum constitutam, et pro eorum lubitu solvendam; sed scitis fuisse ab ipso Deo, naturæ auctore, immediate et in concreto statutam, et tali lege et esset monogamum, reciprocum, indissolubile.

Jam vero quæ jure divino firmitatem habent, non possunt humanis placitis infirmari. Ergo nulla causa potest cohonestare divortium illud de quo me interrogatis, quod videlicet ita societatem matrimonialem abrumpat ut scilicet licitum sit utrique parti ad novas nuptias advolare. Ita Christus evertit erroneum suppositum quæstionis propositæ, et occasione sumpta quæstionis disciplinaris quæ proponebatur, evolvit dogmaticam matrimonii naturam, et securim quodammodo ad radicem posuit, ex qua profluebant controversiæ, seu quod matrimonii vinculum solvi posset.

Non exspectabant certe Pharisæi se ita fore delusos, cum viderent controversiam, ex ipso suo supposito

recisam, et iis principiis quibus non poterant Christum de nova doctrina calumniari. Sed patebat subsumendi via : *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii et dimittere?* Videlicet, si hæc esset matrimonii natura, deflexisset Moyses a natura dogmatica conjugii, quando mandavit dare libellum repudii et dimittere. Quomodo ergo doctrina hæc cum lege Moysis conciliatur?

Viam conciliationis invenit Christus facillimam, et talem quam puto Hæbreis admodum non arrisisse : *Ad duritiam cordis vestri, permisit vobis Moyses dimittere uxores vestras ; ab initio autem non fuit sic.* Id est : Moyses non deflexit a primitiva conjugii natura, sed vos ab ea deflexistis. Nam dum ipse vobis explanat dogmaticum matrimonii conceptum in Genesi, et moralem illius statum, debuit in Deuteronomio, prudenti disciplina, ita duritiei cordis vestri et corruptis vestris moribus applicari, ut pejora mala non exurgerent.

Lex Geneseos est lex dogmatica, perfecto in abstracto, respicit homines prouti esse deberent, est prototypus legis matrimonii; lex Deuteronomii est lex disciplinaris : respicit homines prouti erant de facto, non in absoluta veritate, sed in prudentia, seu est prudens applicatio legis dogmaticæ depravatis populi moribus, et inclinationibus, quæ si bonum obtinere non potest et ad perfectum non potest adducere, curat saltem majora mala vitare.

Ergo lex legi non opponitur, nec ego Moysi, nec Moyses sibi, sed mores et inclinationes vestræ erant primitivæ et originariæ hominum conditioni contrariæ, et tales eratis quales esse non debebatis, proinde impares sustinendi matrimonium prout esse debebat.

Cum ergo jam consuetudinem habebatis dimittere uxores vestras, Moyses mandavit libellum repudii; non autem repudium mandavit, sed permisit. Ab initio autem non fuit sic.

Ita eversa Pharisæorum instantia, manebat quod antea dictum a Christo erat, videlicet quod licet, juxta legem mosaïcam, ob temperamentum disciplinare adhibitum pro indole, moribus, viribus populi judaïci, non puniebatur tanquam adulterium, si vir, dimissa uxore, aliam duceret, vel vice versa; tamen juxta conceptum rei dogmaticum quem insinuavit Moyses et in ordine ad quem Christus conjugium reparare volebat, si quis, dimissa uxore, aliam duceret, in mæchiam laberetur, et si quis dimissam duceret similiter. Et sane ita concludebat sermonem Christus.
V. Sed difficultatem facit phrasis sermonis :

Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ab fornicationem et aliam duxerit, mœchatur; et qui dimissam duxerit, mœchatur.

Certe contextus omnis antecedens non videtur importare hanc exceptionem; nec eamdem habent exceptionem loca parallela sive Marci, sive Lucæ, sive Pauli ad Corinthios. Ergo Christus certe noluit excipere a mœchia, casus novarum nuptiarum post dimissionem primæ uxoris *ob fornicationem*. — Quid ergo?

Animadverti debet quod controversia Christo proposita, licet haberet totum suum suppositum dogmaticum, tamen erat disciplinaris.

Pharisæi velut non dubitantes de licitudine dimissionis, et quidem quoad vinculum, uti putabant, quærebant de causis ejusdem. Hæc quæstio de causis, præscindendo ab indissolubilitate vinculi, fuisset quæstio mere disciplinaris. Poterat enim concipi di-

missio, manente vinculo. Jam vero Christus non poterat immediate respondere quæstioni disciplinari, quia cum quæstio disciplinaris fulciebatur supposito dogmatice erroneo, periculum erat, ne respondendo quæstioni disciplinari, suppositum illud confirmasset.

Ergo debuit suppositum evertere prius, et ita tutam sibi viam parare ad solutionem quæstionis disciplinaris. Posito ergo quod matrimonii vinculum esset insolubile, vigebat adhuc quæstio proposita, an, manente vinculo, aliqua ex causa posset uxor dimitti. Christus respondet affirmative et proponit ordinariam solutionis causam: *fornicationem.* Evangelista, sicut proposuerat implicitam in quæstione disciplinari quæstionem dogmaticam Pharisæorum, ita in responsione ad causam dogmaticam includit responsionem ad causam disciplinarem.

Lucas et Paulus (ad Corinthios) proferunt sententiam dogmaticam absolute, quin referant quæstionem disciplinarum. Marcus refert quæstionem propositam a Pharisæis, sed præscendit a quæstione disciplinari et proponit quæstionem dogmaticam: Si licet viro dimittere uxorem. Hæc causa est quare non habuit exceptionem quam habet Mathæus.

Posito autem quod hæc fuerit Mathæi mens, quomodo explicatur: *Qui dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem et aliam duxerit, mœchatur?* In similibus propositionibus quæ constant duabus incisis, et habent verbum finale, verbum de natura sua ad utrumque incisam porrigitur; sed limitatio quæ unum incisum afficit non potest ad aliud protendi. Exemplo sit hæc propositio:

Si quis jejunium non servaverit, nisi obtenta dispensatione, vel nisi infirmitatis causa, et se inebria-

verit, peccat. Illud, *peccat*, refertur ad utrumque; illud : *nisi* ad primum tantum incisum. Ergo propositio Christi hac est: Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, mœchatur, et qui alium duxerit, mœchatur, et qui dimissam a viro duxerit, mœchatur. Quomodo autem dicatur mœchari qui dimittit eam quæ non fornicata est, patet ex ipso Mathæo c. v: *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari et qui dimissam duxerit, adulterat.*

Ergo Christus paucis ita concludit propositam quæstionem : Matrimonium est societas quædam reciproca, monogama, indissolubilis, ita a Deo naturæ auctore immediate constituta quæ facit de duobus unum, ita ut ab hominibus nequeat separari, proinde non habet causas ex quibus quoad vinculum dissolvatur.

Sed dissolvi potest quoad *vitæ consuetudinem*, manente vinculo; quod fieri potest in casu fractionis fidei conjugalis, seu fornicationis, et jure privatur pars, quæ juri alterius sese opposuit et privatur individua vitæ consuetudine quæ illius bonum non curavit. Cæterum si extra casum fornicationis, quis perpetuo dimitteret invitam, faceret eam mœchari, cum sine culpa privaret honesto usu conjugii, proindeque alia causa ordinaria coactæ dimissionis non est nisi fornicatio unius partis.

VI. Ita declarata lege matrimonii, debebat natura sentire suam improportionem ad tantam sanctitatem observandam : *Si ita est causa hominis cum uxore*, inquiunt discipuli, *non expedit nubere.*

Christus respondit gratia id obtineri posse, ad quod impar natura est. Hoc suadet exemplo majoris per-

suasionis : *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi qui de matris utero sic nati sunt; et sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus; et sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest cœpere cœpiat.*

Durum revera esset verbum hoc, et executione impossibile meris naturæ viribus, si ad motum concupiscentiæ res esset observanda; non sic autem viribus gratiæ quæ a Deo suppeditantur. Et sane si durum est homini una tantum uxore uti, et illius etiam usu privari, si eam dimiserit, quanto magis nulla uxore uti, et usui conjugali perpetuo renuntiare? Attamen viribus gratiæ etiam hoc obtinetur, quanto magis illud?

Sublimata igitur lege, sublevanda erat natura ut illius observandæ capax fieret. Ut autem hoc faceret Christus : 1° Elevavit matrimonium ad mysticam significationem conjugii spiritualis sui cum Ecclesia, ut ita a carnali conjugio homines abstraherentur, et potius spiritualem significationem attenderent quam oblectamentum carnale.

Viri, diligite (Paul. ad Eph., v) *uxores vestras sicut Christus Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea... Viri debent diligere uxores suas sicut corpora sua,... sicut et Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis ejus, et de carne ejus et de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam et adhærebit uxori suo, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia. Verumtamen et vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat; uxor autem timeat virum suum.* — Ergo voluit Christus ut matrimonium esset signum spiritualis conjunctionis.

2° Elevavit ad sacramentum ipsum contractum matrimonii, ut conjuges per hoc medium haberent gratiam ad legem illam observandam. Est autem : *Justa et legitima Christianorum maris et fœminæ conjunctio, individuam vitæ consuetudinem retinens, instituta ad significandam unionem Christi cum Ecclesia, cum gratia adnexa, tum ad amicitiam conservandam, tum ad sobolis procreationem et educationem.*

Uno verbo, voluit Christus ut matrimonium fieret sacramentum, seu contractum matrimonialem reddidit signum sacrum quod repræsentaret unionem Christi cum Ecclesia, conjugis sanctificaret, eorumque animos sustineret et devinciret in ordine ad finem societatis conjugalis.

Ita Christus revocando legem ad suam primitivam institutionem, sublevando homines gratia sua, ut fierent illius implenda capaces, restauravit matrimonium in pristinum suum gradum.

In ea æconomia qua Christus usus est in humani generis Redemptione, ut videlicet immediate sanctificaret personas, non naturam, etiam in homine sanctificato, manent pravæ inclinationes quæ eam secutæ sunt, et ad peccatum inclinent, licet peccata non sint. Inter has major est concupiscentia carnis. Propterea matrimonium factum est concupiscentiæ remedium, iis qui non valent ipsos continere, et propterea nubant : *melius enim nubere quam uri.*

Sanctificatum est ergo matrimonium et revocatum in suam primævam sanctitatem; sed in corrupta adhuc natura, et propterea a concupiscentia non immunis.

B. DE RELATIONIBUS MATRIMONII CUM ECCLESIASTICA ET POLITICA SOCIETATE.

I. De subjectione matrimonii societati civili et ecclesiæ.

VII. Matrimonium quod ab initio institutionis suæ, extitit independenter a quavis alia societate, una fuit societas prima, cæterarum initium, tanquam merum officium naturæ, nulli alteri legi, vel auctoritati subditum, nisi legi divinæ naturali, et naturali Dei in homines auctoritati; multiplicata hominum familia, orta ex ipso naturali jure humana auctoritate, aliquem ordinem ad eam contraxisse controversiam, ut reor, non patitur.

Namque ipsa naturalis subjectio filii ad auctoritatem patris, facile suadet matrimonium filiorum a vinculo paternæ subjectionis non fuisse immune. Non loquor hic de limitibus paternæ auctoritatis in matrimonium filiorum, sed qualis tandem fuerit hæc auctoritas. Non puto filios qui generali obsequii et reverentiæ debito erga parentes detinentur, ita fuisse, hac in re, immunes a parentum voluntate, ut in re tanti momenti a parentibus ipsis dirigi non deberent, et sine periculo iis licuisse justum parentum dissensum non curare; præsertim eo tempore quando nulla alia auctoritas patriarchali major inter homines haberetur. Scimus ex ipsa Scriptura quas partes habuerint patriarchæ in moderandis connubiis filiorum suorum.

Multiplicatis hominum familiis, naturæ quodam instinctu familiæ ipsæ in ampliorem societatem coaluerunt, in societatem politicam. Nova hinc orta est auctoritas, videlicet publica, domestica et paterna

auctoritate superior, ex cujus ipsa institutione necessario factum est, ut manentibus naturalibus relationibus patrum erga filios, et vicissim, tamen paterna auctoritas facta est superiori auctoritati subjecta in ordine ad bonum commune, ad quod amplior illa societas esset subordinata.

Matrimonium quod alium subjectionis ordinem ignorabat, præter subjectionem paternæ auctoritati, acquisivit et ipsum, quemdam subjectionis ordinem ad publicam auctoritatem. Videlicet princeps pro jure et officio tuendæ externæ honestatis in ordine ad finem communis felicitatis, non potuit prohiberi, quominus aliquam partem non sumeret in civium matrimoniis.

Imo publicus ordo id efflagitavit, cum nulla alia causa fortasse sit unde societas ipsa queat magis perturbari. Quæ Moyses tanquam dux et legislator populi judaïci constituerit pro connubiis Hebræorum, vidimus quando agebamus de preludiis restaurationis matrimonii. Sed Moysis exemplum non potest ad rem nostram protendi, cum ibi non ageret ut simplex politicus dux populi hæbraici, in viam naturalis auctoritatis, sed potius ex positiva auctoritate sibi a Deo facta, ex speciali missione a Deo recepta, et esset specialis Dei delegatus in theocratia judaica.

De aliis nationibus et præsertim in Romana republica, quid auctoritas publica edixit pro moderamine connubiorum cunctis notum est. Non definio hic inutiliter quos limites habere potuerit hujusmodi auctoritas hac in re; nec proinde approbo excessus et abusus in quos civilis auctoritas lapsa sit. Certum est quod ipsum factum nos docet, quod ubi alia auctoritas in specie constituta non sit, debent matrimonia

a publica auctoritate pro externo societatis ordine et honestate moderari.

VIII. At Christi gratia, in ampliorem societatem acciti sumus, Ecclesiam dico. Namque finis huic societati propositus est finis supernaturalis et æternæ beatitudinis, qui finis cum omnium hominum sit, in universum humanum genus, hæc societas protenditur. Ut hunc finem assequerentur quœdam positiva auctoritas, ab ipso Christo immediate et in concreto est instituta autonoma et independens, eique provincia plenissima facta est, ut divinam legem, qua fidei, qua morum homines doceret, sacramentis collapsas naturæ vires restauraret, sanctificaret homines, et divinæ legis præcepta pro statutum varietate adimplendæ pares efficeret, et appositis legibus prospiceret, ut homines sacramenta susciperent, honestatem servarent... Uno verbo ut mores hominum contineret in ordine ad finem supernaturalem.

Hac posita institutione, matrimonium acquisivit quamdam relationem, ex toto propriam, exclusivam quodammodo, et singularem cum hac societate. Hoc vero, sive quatenus ad mores relationem dicit, sive quatenus sacramentum est. Nam juris moralis non exigua pars est jus matrimoniale, non exigua pars est legis moralis. Ergo Ecclesia, sive quatenus moralitatis est magistra infallibilis, sive quatenus est sapientissima morum gubernatrix, jus habet definiendi quandonam matrimonium contrahi possit, quando non possit, et appositis legibus, cavere ut rite, honeste contrahatur.

Qua parte vero sacramentum est matrimonium, seu naturalis matrimonii contractus ad sacramenti naturam elevatus est, talem contraxit habitudinem, et re-

lationem ad juramentum, ut sicut Ecclesia est sacramentorum praxim gubernare, ita et huic contractui præesse.

His principiis innixa, Ecclesia de re sua esse putavit, ut Christianorum matrimonia moderaretur, jam hinc ab eo tempore, quando sub persecutionis gladio afflictabatur, muniens canonica sanctione leges, si quando civilis sanctio illis non suppeditabatur. Sed postquam ipsi principes sæculi Ecclesiam veluti matrem suam suspexerunt, et lex ipsa civilis juris canonici principiis imbuta est, absque controversia, et ipsis faventibus principibus, latissime in hanc materiam, jurisdictionem suam exercuit.

At vero sæculo XVI°. novatores cæperunt movere bellum huic Ecclesiæ auctoritati, dicendo matrimonium non esse sacramentum, propterea sicut cæteros contractus subdi moderamini civilis, seu politicæ auctoritatis.

Concilium Trid. sess. XXIV. de Sacramento matrimonii :

Can. 1°. Si quis dixerit Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicæ Sacramentum, a Christo Domino institutum..... anathema sit.

Can. 3° Si quis dixerit eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere ut plures impediant et dirimant, anathema sit.

Can. 4°. Si quis dixerit Ecclesia non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in constituendis errasse, anathema sit.

Can. 12°. (Ut cæteros omittam qui ad speciales casus referuntur) : Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit.

Subtilius vero aggressus M. Antonius de Dominis, sæculo XVII°, archiep. Spalatenses, et dein apostata, dixit : Esse sacramentale non destruere esse contractus, et proinde, licet Ecclesiæ subjectus sit quatenus ritus sacramentalis, non autem quatenus vinculum contractus et consensus.

Launoius ut componeret doctrinam Tridentini cum illa de Dominis, dixit nomine Ecclesiæ Tridentinum intellexisse principes, vel egisse de jure non originario et proprio, sed derivato, adeoque esse jus majestaticum.

Plures Jansenistæ sæculi elapsi, eadem jura majestatica receperunt, quæ sunt impræscriptibilia, proinde quæ possunt a principibus revocari. Sub his doctrinis, et talibus defensoribus, prodiit legislatio Austriaca Josephi II, anno 1783, qua cognitio causarum matrimonalium judicio imperii civilis committitur. Relinquitur Ecclesia ut possit præcepta quædam prohibitiva constituere, quæ religionem et mores promoveant ad conservandam matrimonii dignitatem. Synodus Pistoriensis iisdem principiis incœpta est anno 1786.

Non dissimili modo et gallico codice Napoleonico, omnis Ecclesiæ auctoritas in causis matrimonialibus ablata est, et magistratus civiles conjugio præfecti sunt, coram quibus contrahi deberet et sufficeret.

Hodie Jansenistæ fraudes collapsisse videntur ; attamen et hodie non desunt qui ex æquo putent competere potestatem in causis matrimonialibus principi et Ecclesiæ.

Ergo necessitas exigit ut pauca de hac quæstione, seu de limitibus utriusque potestatis hac in re loquamur.

II. De limitibus utriusque potestatis civilis et ecclesiasticæ in matrimonio.

De limitibus utriusque potestatis in genere.

IX. Nemo fortasse est qui dubitet matrimonium objectum esse sive ecclesiasticæ sive civilis auctoritatis. Matrimonium enim, ut ait S. Thomas (in suppl. q. 50. contra Gentes, lib. IV, c. LXXVIII) in quantum est officium naturæ, statuitur lege naturæ, in quantum est sacramentum, statuitur jure divino, et subjacet regimini ecclesiastico, in quantum est in officium communitatis, seu ordinatur in bonum politicum, statuitur lege civili.

At vero, licet hic triplex sit respectus matrimonii ad triplicem legislationem, triplex matrimonium non est, sed unum. Illud enim ipsum ut naturalis contractus, seu illa societas naturalis quæ a Deo instituta est, ad bonum publicum ordinata est quando homines in politicam societatem coaluerunt, et ad sacramenti dignitatem elevata est quando in plenitudine temporum sic Christo placuit mederi hominum naturæ. Ergo nec ecclesiastica, nec politica potestas creat novum matrimonium vel ecclesiasticum vel civile, sed idem naturale matrimonium in suum respectivum finem ordinat, et moderatur.

Cum autem omnia quæ a Deo sunt, ordinata sunt : omnia enim in sapientia fecit Deus, et utraque potestas, sicut Deum immediatum habet auctorem, ita et divino jure, in suum finem moderatur, quæ illi supposita sunt, limites ipso jure divino impositi sunt quærendi ut eam provinciam sibi quoque in matrimo-

nium usurpet, quæ alterius provinciam non invadat. Itaque :

Distinguendum est an sermo sit de matrimonio Christianorum :

1° *Infideles*, juri naturali et divino subjecti, juri ecclesiastico non subduntur, cum ecclesiasticam societatem nunquam fuerint ingressi. Ergo legislatio civilis in iis matrimoniis moderandis, nullum limitem habet nisi qui jure naturali, vel divino illi constitutus est. Ecclesia in his matrimoniis nullam sibi potest partem vindicare, nisi eam quam habet, prouti juris naturalis et divini interpres auctoritativa et infallibilis.

Lex civilis quæ juri naturali vel divino opposita est, non est lex, nec potest ita attendere qualitatem civis, ut excludat naturam hominis ; non poterit unquam facere ut matrimonium sit, quod jure naturæ non est. Matrimonium civile juri naturali et divino oppositum, esset fictio juris quæ consideraret tanquam matrimonium, quod tale non est, proinde simplex externa unitio, defensio, et protectio societatis immoralis, quæ immoralitatem foveret, et nullam illi daret juridicam, intrinsecam, et proprie dictam consistentiam.

Porro naturale impedimentum, certe autem juris divini impedimentum est : Consanguinitas in primo gradu vel directo, vel transverso, ut postea declarabimus (cap. VIII de Divortiis) ; ligamen cum uno viro, vel uxore, eo vivente. — Ergo lex civilis quæ cohonestaret matrimonia parentum cum filiis, vel fratrum cum sororibus, polyviriam, vel polygamiam, vel divortium quoad vinculum, irrita prorsus esset, ut supra dictum est.

Ergo lex civilis non potest facere matrimonium

quod non est tale. Sed possetne facere quod non esset, quod tale esset? Non certo post contractum, quia factum, infactum fieri non potest. Sed possetne impedire quominus fiat, reddendo irritum, si tentatum fuerit? Quæstio in hanc resolvitur; an ob finem utilitatis publicæ et communis, posset efficere ut contractus qui, solo jure naturali inspecto, subsisteret, jure civili irritetur? An possit ob externam honestatem communitatis et externum ordinem apponere conditiones quasdam, quibus non servatis, contractus irritus sit?

Implexa quæstio est. Nam ex una parte, societas matrimonialis non est humanæ institutionis, sicuti sunt cæteri contractus in quibus, licet obligatio jure naturali nascatur, tamen ex humanis placitis statuuntur conditiones, sed a Deo ipso immediate et in concreto quoad omnes suas constitutiones, omnibus numeris constituta est. Ergo si concurrunt conditiones omnes jure divino constitutæ, jam per se habet suam firmitatem nec potest fieri ut non sit dum est, sicuti non potest fieri, ut sit ubi non est. Ergo habet naturam jure humano intangibilem.

Sed respondetur principem licet suæ potestati non subdatur matrimonium, irritare matrimonium quatenus suæ potestati subduntur contrahentes; potest irritare illorum consensum, et ea potestate a Deo concessa in bonum status, minuet jura individui pro bono communitatis.

Nolo me immiscere in solvenda hac controversia, præsertim cum stricte non afficiat rem nostram.

Certum est tamen, quod vel dirimentia vel mere prohibitiva impedimenta principi si fas sit apponere, in eo habent limitem qui ab ipsa natura est constitu-

tus. Videlicet : prius homo est homo, inde civis ; ordo civicus est pro tuitione et defensione ordinis naturalis ; proinde non debet servire hominum natura politiæ, sed politia hominum naturæ. Determinabit proinde lex civilis publicum ordinem in conjugiis servandum, quo connubiorum incertitudo tollatur, honestas servetur, etc., non autem violet naturam.

2° Sed multo minora competunt jura principi in matrimonia *christianorum*.

Nam si naturalis homo alicui determinationi, in iis quæ naturalis juris sunt, legi civili subditur ; homo christianus (et homo naturalis non potest dividi a supernaturali) in ordine ac suum finem supernaturalem, a civili potestate est prorsus immunis, et subditur Ecclesiæ. Et cum supernaturalis finis naturali præstet, æterna felicitas felicitati temporaneæ, ille est absolute, hic hypothetice intentus : Ergo prius est ut homo disponatur et ordinetur ad illum, deinde ad istum.

Proinde hæc potestas politica debet ordinare ad finem publicæ felicitatis temporalis, quando jam in suum ordinem supernaturalem directus est. Jam vero matrimonium ad ordinem supernaturalem pertinet dupliciter :

1° Sub aspectu morali ;

2° Sub aspectu sacramentali.

1° Licet lex moralis de se ordinem non dicat ad finem supernaturalem : nam posset considerari in puris naturalibus cum afficiat naturam qua natura est ; tamen cum gratia naturalem hominem perfecit, non distinctum hominem creavit, nec natura est destructa per gratiam, sed elevata, ipse ordo naturalis sublimatus, et supernaturalizatus est. Et quemadmodum

gratia accedente naturæ, duplicem hominem non distinguimus, nec eum in duplici ordine ponimus, ut possit unum vel alterum servare, et finem consequi juxta unum vel juxta alterum. Ita homo non subditur duplici legi, sed ipsa lex moralis lege supernaturali affecta est, siquidem illius observatio ad finem supernaturalem directa est.

Atqui Ecclesiæ est dirigere hominem ad finem supernaturalem, independenter a potestate politica, et ordine prior directio est. Ergo quidquid pertinet ad directionem ordinis moralis pro christianis, exclusive et independenter ecclesiasticæ legislationi et potestati subditur; atque tale est matrimonium. Ergo qua moralis contractus est, integrum ecclesiasticæ legislationi subditur, ut illius naturam fideles doceat, conditiones determinet ut illius honestas servetur, nec tantum prohibitivas, sed irritandas causas quæ ad illud referuntur, definiat: Hoc vero observa, potissimum quoad vinculum, quod est fons omnium obligationum moralium.

2° Quidquid sit de quæstione an sacerdos, vel contrahentes sint ministri sacramenti matrimonii, vel ut aliquis sentit (Rosmini), sacerdos sit minister ex officio, contrahentes extra ordinem. Quidquid sit utrum omnia omnino matrimonia christianorum sint sacramenta, ii enim etiam qui sustinent ministros esse contrahentes dubitent, utrum sint sacramenta matrimonia facta per procuratorem, matrimonium infidelium post conversionem unius vel utriusque, matrimonia si fierent cum positiva intentione non suscipiendi sacramentum.

Quidquid sit de omnibus his quæstionibus quæ, salva fide agitantur; certum est matrimonium esse

unum de septem novæ legis sacramentis, definiente Tridentino.

Ex hac definitione patet : non aliud esse matrimonium, et aliud sacramentum, sed ipsum matrimonium esse sacramentum ; vel hæc ratio sacramenti sit contractui ipsi adnexa ideo quia inter catholicos celebraretur matrimonium, vel quia celebratur ritu quodam sacro, vel sit de facto sacramentum semper prouti debet esse de jure, parum refert ; matrimonium est sacramentum.

Sed ratio sacramenti in eo sita est, ut res externa, seu signum visibile, ex Christi institutione, et significet et efficiat gratiam internam et invisibilem. Jam vero matrimonium signum est unionis Christi cum Ecclesia, et signum est gratiæ quæ confertur ad uniendos conjugum animos, proinde eam confert. Uno verbo est signum, ratione contractus, unionis, vinculi, conjunctionis. Ergo matrimonium ratione vinculi et contractus est sacramentum.

Sed quidquid, quod ad sacramentorum valorem vel administrationem respiciat, a civili potestate substractum sit, potestati ecclesiasticæ relinquitur definiendum. Ergo quidquid est quod vinculum matrimoniale vel contractum, vel contrahendum respiciat, juraque et obligationes inde orta ad Ecclesiæ judicium, vel ut dogmatis magistra, vel ut disciplinæ moderatrix spectabit.

Hanc autem potestatem non habet a principe mutuatam, sed *propriam et nativam*. Ita etiam sequitur ex *primo capite de matrimonio in sua essentia morali*.

Conclusionem vidit Calvinus (lib. IV, instit., c. XIX, § 17): ubi semel obtinuere catholici matrimonium esse sacramentum, conjugalium causarum co-

gnitionem ad se traxerunt, quippe res spiritualis erat profanis judicibus non attrectanda.

XI. Quod autem contractus et quidem naturalis matrimonii sit sacramentum, patet :

1° Ex Christo, Matth., XIX, ubi legem promulgans matrimonii christiani, illud revocat in suam primitivam institutionem.

2° Ex Paulo ad Corint. XI, ubi revocata primitiva conjugii institutione addit : *hoc sacramentum*, etc. Nec dicas hinc etiam infidelium connubium esse sacramentum, sic enim vocatum ab ipso Innocentio III (c. VIII de Divort.). Licet maneat in sua abstracta significatione, non fiet signum practicum et efficax gratiæ, ob conditionem contrahentium.

3° Eugenius IV pro instructione Armenorum : Septimum est sacramentum matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia... Causa efficiens matrimonii est mutuus consensus per verba de præsenti regulariter expressus.

4° Trident. Secc. 24 de sacr. matrim.; præmissa institutione primitiva : Gratiam quæ naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem firmaret, conjugisque sanctificaret, ipse Christus... sua nobis passione promeruit.

Et infra : Cum igitur matrimonium in lege evangelica veteribus connubiis per Christum gratia præstet, merito inter novæ legis sacramenta annumerandum, Sancti Patres nostri, concilia et universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt.

Pius VI, die 16 sept. 1788 ad Episcopum Motolensem in regno Neapolitano : Dogma fidei est ut matrimonium quod ante adventum Christi nihil aliud erat nisi indissolubilis quidam contractus, illud post Christi

adventum evaserit unum ex septem legis evangelicæ sacramentum a Christo Domino Nostro institutum.

Pius VIII, in Encycl. *Tradidit humilitati* die 24 maii 1829, idem docet, quod conjunctio illa quæ ante Christum instituta fuit ad propagationem, a Christo facta est sacramentum.

Gregor. XVI. Encycl. *Mirari vos*, 15 aug. 1832.

Pius IX, in allocutione die 27 febr. 1852.

XII. Quidquid ad æternam felicitatem ordinatum est, id omne civili auctoritati substractum, ab ecclesiastica auctoritate *independenter* debet moderari; atqui vinculum matrimoniale christianorum ad ordinem supernaturalem elevatum est. Ergo, etc.

Prob. minor : Elevatum est ad ordinem supernaturalem ratione *personarum* quæ contrahunt; ratione *actus* quo contrahendum est. Ratione personarum quæ contrahunt, pro quibus ordo moralis a supernaturali non distinguitur, sed ratione finis ad quem sunt elevati, ordine supernaturali affectus supernaturalizatus est. Ratione actus quo contrahitur; nam contractus matrimoniales ad sacramenti dignitatem evectus ad ordinem supernaturalem elevatus est. Vel saltem ordine supernaturali affectum est.

Quid ad hæc Regalistæ? Eorum omnia argu menta versantur in falso supposito. Ipsi considerant ordinem moralem tanquam quid realiter distinctum ab ordine supernaturali, religionem tanquam quid distinctum ab homine, spiritum tanquam quid distinctum ab homine, ut darent ecclesiasticæ potestati plenissimam auctoritatem in iis quæ supernaturalia sunt, quæ ad religionem et spiritum pertinent, super homines nullum jus tribuerent.

Verum quid est gratia sine natura cujus objectum

est? Quid est spiritus sine homine cujus est? Quid religio sine colentibus? Sunt conceptus abstracti, chimerici, qui realitati non respondent. Sunt media super fictione fundata ad eludendam directo auctoritatem Ecclesiæ, et per consequens omnem auctoritatem.

Nam eadem principia applicata legislationi ecclesiasticæ, applicata juri naturali a pseudo-politicis transacti sæculi, producebant legislationem atheam. Nam distinguendo civem ab homine naturali, parvi penderunt hominis naturam in ordine ad publicam status felicitatem, et legem civilem considerarunt independenter ab intrinseca actuum moralitate, independenter a jure naturæ... Ita legislatio civilis athæa facta est, et democraticæ regiminis formæ applicata est pantheistica.

Hæc sunt corollaria legislationum quæ non in realitate, sed in fictione fundantur. Homo non est abstractio mentis, vel fictio juris, sed est factum concretum prouti coalescit ex omnibus juribus et obligationibus secundum varias relationes in quibus potest considerari, variis subdi potest legislationibus, et secundum varios ordines considerari; sed in varios homines distinctos secundum diversos ordines discerpi non potest.

Ergo cum unus sit et idem homo naturalis, christianus, civis, necesse est ut una legislatio aliam limitet necessario, ne factum hoc : homo, destruatur. Porro jus naturale nullo jure potest violari, cum in intrinseca natura consistat, licet jure possit determinari ob ignorantiam hominum. Sed semel ac jus naturale supernaturali jure affectum est, civili naturalique non subditur. Ergo si civilis auctoritas suos limites vult

servare, qui essentialiter illi sunt constituti ex conditione hujus hominis in concreto spectati, tunc ad finem communis felicitatis conducit. Si hic homo mere naturalis sit, tunc debet incipere imperare ubi desinit natura ; si hos limites violet, jus naturale invadit. Si hic homo supra naturam elevatus est, tunc debet incipere ubi desinit Ecclesia, ne ultimum hominis finem violet, et cum eo ipsam hominis naturam, jus naturale, quæ semel ad ordinem supernaturalem elevata, velut separata realiter non possunt considerari.

De limitibus utriusque potestatis in specie.

Ita constitutis in genere limitibus auctoritatis ecclesiasticæ et civilis, in matrimoniis christianorum, descendere oportet ad particularia.

Quid in specie potest Ecclesia ?

Quid in specie potest princeps ?

XIII. Quid in specie potest Ecclesia. 1° Omnis legislatio dogmatica de matrimonio sive qua contractus, sive qua sacramentum est, ab Ecclesia proponi debet, declarari, et cum juris divini sit, non potest immutari, ita ut vel contractus naturalis non sit ille qui natura est constitutus, vel sacramenti materia, minister, forma, alia sit ab ea quæ jure divino determinata est.

2° Potest et debet prudenti disciplina jus dogmaticum christianis applicare, ut contrahant prouti jus divinum exigit, vel in ordine ad contractum, vel in ordine ad sacramentum. Conditiones igitur determinabit quibus hic contractus iniri, et cum eo suscipi debeat sacramentum, quibus non servatis, illicite, aliquando invalide fiat ipsa sacramenti susceptio vel contractus.

Præter conditiones jure naturali et divino requisitas

ut contractus et sacramentum existat, quas ipsa determinat, potest alias etiam addere prohibentes vel irritantes conditiones, quas actus moralitas, vel sanctitas et veneratio sacramenti, pro bono fidelium ipsi repræsentat, non ad hoc ut immutet connubii substantiam, sed ut inhabilitet sibi subditos ad sic contrahendum, pro suo et totius societatis Christianæ bono. Hæc enim omnia ad vinculum matrimoniale relationem dicunt.

3° Si causæ intercidant quæ vinculum matrimoniale directo respiciunt vel contrahendum vel contractum, illæ omnes foro ecclesiastico revocantur.

XV. *Quid potest Princeps?* Quid non potest, ex indirecto consequitur ex iis quæ diximus, seu non potest ingredi in substantiam actus. Ergo :

1° Poteritne declarare valida quæ sunt nulla?

R. Contradictio est quod sit nullum et validum. Deus auctor utriusque potestatis, non fuit contradictionis, secus eodem tempore imperasset et non imperasset. Ergo unum de duobus : Nullum est naturale; sed civile sine naturali non potest subsistere, quia quod coram Deo est nullum, non potest fieri validum ab hominibus. Ergo nullum est etiam civile. Secus lex foret tyrannica coarctando finem hominis ad peculiarem societatem, violando conscientiam individui, invaderet jura Ecclesiæ judicando de valore sacramenti.

Obj. Constantinus, Theodosius, Justinianus, imperatores christiani valida retinuerunt quæ irrita sunt ab Ecclesia.

R. Hæ leges, præsertim de divortiis, cum non christianis, sed gentibus omnibus essent applicatæ, non potuerunt imperatores tollere abusus inveteratos;

sed paulatim reducebant legislationem civilem ad principia juris canonici, prohibendo divortia bona gratia, vel alia causa. Nunquam adstrinxerunt Christianos ad eas leges, et si iis obsecundarunt christiani, Ecclesia illorum matrimonia, post divortia, irrita retinuit.

2° Potest invalidare valida?

R. negative. Ideo poterat princeps quia Deus sibi non reservaverat ante Ecclesiæ fundationem. Erat jus hypotheticum; ablatum est. Ergo quod est, non potest facere quod non sit. Nec potest princeps leges facere de sacramentis. Ratio de bono individui in ordine ad bonum commune non potest afferri pro principe contra Ecclesiam, quia lædendo finem supernaturalem, læditur universa natura.

Obj. Sed potest irritari, contractum naturalem præveniendo.

R. Quid est contractus? Sacramentum : ergo irritando contractum, irritaret *sacramentum directo*. Insuper falsum est suppositum, quia matrimonium elevatum ad sacramentum est contractus independens a quavis civili determinatione.

3° Nil potest in causis dissolutionis, seu in causis de vinculo vel de officio conjugali.

XVI. *Quid potest positive?* 1° Salvo matrimonio et sacramento, potest dirigere matrimonium ad finem utilitatis suæ societatis, præscribendo conditiones ad effectus civiles, seu ne matrimonia fiant sine certa conditione civiliter præscripta, et sanctione civili (mulctæ, pœnæ) non irritante.

Sed poterit hæc sanctio civilis non irritans conjugium, irritare illius effectus civiles? Ex. gr. de legitimitate?

Ecclesiæ nil sortitur; sed posset disputari de justitia, quia illegitimi sunt nati ex illegitima conjunctione, non vice versa.

2° Potest agnoscere causas omnes matrimoniales in quantum spectant ad effectus civiles ortos ex matrimonio, vel ex sponsalibus, vel ex matrimonii solutione; puta de hæreditatibus, de donationibus, de legitimitate quoad effectus civiles, de mulctis. Hæ causæ connexæ sunt cum matrimonio, sed directe et immediate respiciunt res politicas et temporales.

Sanctio de illegitimitate :

1° Invertit naturam; excessiva, injusta est : Aliis mediis curet princeps consequi effectum.

2° Contradiceret Ecclesiæ cujus leges pro bono status debet ad observantiam urgere.

3° Attingeret moralitatem et finem supernaturalem.

4° Crudelis et barbara, si hos filios a successione excluderet. Ecclesia posset interdicere has leges ut contrarias moralitati et fini supernaturali.

Pars specialis.

Statuta originaria et independenti Ecclesiæ potestate circa vinculum matrimoniale fidelium, videndum superest ad integram matrimonii christiani tractationem, qua disciplinari lege vinculo matrimoniali Ecclesia prospiciat, seu qua prudenti œconomia gubernet fideles in ordine ad vinculum matrimoniale.

Porro vinculum matrimoniale potest considerari vel contrahendum vel contractum : Ergo hæc pars specialis sponte bipartitur ut 1° loquamur de disciplina Ecclesiæ in ordine ad vinculum matrimoniale

contrahendum; 2° in ordine ad vinculum matrimoniale contractum.

A. DE VINCULO MATRIMONII CONTRAHENDO.

Disciplina Ecclesiæ sub hoc titulo respicit potissimum duo objecta :

1° Sponsalia quæ solent matrimonio præmitti;

2° Impedimenta quæ matrimonio sunt apposita.

I. De sponsalibus.

Breviter hic agam : 1° De origine et natura sponsalium, 2° de iis qui sponsalia possunt inire, 3° de sponsalium effectibus.

1° *De origine et natura sponsalium.*

XVII. Prudentia gerendorum facile suasit ne matrimonium, et omnis vitæ consortium fortuito judicio, vel effræni passionis impetu contraheretur. Difficile enim est ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. (Can. Principatus c. 1, q. 1.) Hinc ex gentium omnium more, alter contractus de ineundo matrimonio, matrimonii contractum præcessit, qui ex una parte ad matrimonium obligaret, ex alia vero matrimonii vinculum non produceret; et proinde locum daret ut matrimonium contracturi possent invicem experiri mores, ut majori securitate et experientia perpetuo matrimonii vinculo unirentur.

Hujusmodi prævium contractum Romani solebant inire per stipulationem. Qui enim uxorem ducturus erat, (ut ait Sergius Sulpitius apud Gellum., lib. IV, Noctium atticarum c. IV,) ab eo unde ducenda erat, stipulabatur eam in matrimonium ductam iri; qui daturus erat, ibidem spondebat daturum; is contractus stipulationum sponsionumque dicebatur sponsaliæ.

Sed hæc contrahendi forma tamdiu perdurasse videtur, quamdiu quæ ex eo contractu perficiebatur obligatio firmissima fuit, et actio inde nata in judicio cum effectu proposita. At postquam inductum est ut facile in irritum caderet, indulgendo sponsis ne ad contrahenda conjugia obligarentur reluctantes et inviti, negligi cœpit ea solemnis contrahendorum conjugiorum ratio, et contractus sponsalium redactus est ut sit : (l. I, ff. h. t.) *Nuda mentio et repromissio futurarum nuptiarum*, seu ut clarius definiri solet : *Viri et mulieris mutua promissio futuri matrimonii.*

Jam vero Ecclesia connubia christianorum moderatura, nullam quidem aspexit necessitatem hujusmodi contractum præmittendi. Attamen, sive quia moribus erat receptus, et multo magis quia nil continebat immoralitatis, ultro hujusmodi pactiones admisit. Imo optime visæ sunt componi posse cum sanctitate matrimonii christiani, ut majori consideratione et dispositione eo modo suscipiatur, quo sperandum sit optimum exitum fore habiturum. Quapropter hæc sponsalia etiam jure nostro admittuntur, quorum natura paululum explananda est. Itaque :

1° Sponsalia non sunt mera *promissio*, sed promissio *mutua*, seu promissio et repromissio; unde reciprocam important obligationem, et sunt contractus bilateralis; unde si unus promittit, alter recipit consensum, non habentur sponsalia, sed nuda unius promissio et respectiva obligatio.

2° Debent ipsi consentire, nec alii possunt pro iis consentire nisi habeant speciale mandatum. Quidquid enim sit de jure mosaïco vel de romano jure, secundum quæ scimus constat fere omnem partem sibi sumpsisse patres in sponsalibus præsertim filiarum;

hodie jure canonico voluntas tacita vel expressa sponsorum requiritur. (Cap. ult. de Despons. impub. in 6°.)

Ergo sponsalia sine voluntate sponsorum contracta non consistunt. Hæc autem voluntas sit deliberata, id est, facta cum libertate et advertentia, et signo aliquo externo manifestata, quo cognosci et acceptari possit. Quovis autem modo consensus exprimitur.

3° *In futurum matrimonium :* duplex persona, quæ consentit non solum, sed ad quam consentiatur, requiritur. — Matrimonium enim quod inter promittentes iniri debet, et hujus contractus finem determinat.

2° *Quinam possunt contrahere.*

XVIII. Omnes qui non removeantur : non enim desideratur quælibet habilitas positiva pro matrimonio.

Removentur : 1° Ex natura contractus, omnes illi qui consentire nequeunt; quales sunt minores septennio, amentes, furiosi, etc.

2° Ex fine et termino contractus omnes illi qui nequeunt nubere: 1° Si nullum impedimentum, nulla remotio; 2° si sit, videndum an sit perpetuum, necne :

Si sermo sit de impedimento perpetuo vel dirimente vel impediente, removentur; quia vel matrimonium absolute esse non potest, vel sine crimine contrahi non potest.

Si vero temporaneum; vel referuntur intra tempus quo viget impedimentum : tunc non removentur et sponsalia valent, dummodo ex alio capite irrita non demonstrentur.

3° *De effectibus sponsalium.*

XIX. Omnium contractuum rite initorum effectus obligatio est præstandi id de quo conventum est inter

contrahentes. Sed in sponsalibus, de matrimonio ineundo conventum est inter contrahentes seu sponsos; ergo reciproca obligatio nata est contrahendi matrimonium. Hoc controversiam non sinit, nec indiget fusiori declaratione. Potius quæri oportet, utrum :

1° Statim peti possit hujus obligationis adimplementum?

2° Quibus mediis possit hoc adimplementum urgeri?

3° Utrum et quomodo possit hæc obligatio cessare?

Quando urgeat obligatio contrahendi matrimonium?

Hac in re, distinguendum est circa modum quo contracta sunt sponsalia. Nam sponsalia iniri possunt pure et simpliciter, vel adjecta die aut conditione.

1° Ex sponsalibus puris, de rigore juris, dies adimplendæ obligationis statim cedit et venit, et est ad libitum creditoris illud petere quando voluerit. Hoc enim natura est omnium contractuum, quibus nec dies nec conditio est apposita, sed pure celebrati sunt. Verum æquitas suadet ut sponsis aliquod tempus benigne indulgeatur; non enim alia de causa sponsalia, non matrimonium contraxerunt, nisi ut aliquod tempus pro bono et æquo, ante matrimonium ineundum ipsis daretur. Hoc autem tempus jure nostro definitum non est, remanet igitur arbitrio judicis determinandum.

2° Si dies sponsalibus adjectus sit, videndum est an dies adjectus sit perimendæ vel adimplendæ obligationis gratia. Dies enim adjici potest ut terminus ad quem definiat obligatio; ex gr. nisi intra annum matrimonium contrahatur, sponsalia sint nulla; potest etiam adjici ut terminus a quo incipiat obligatio,

nempe ad differendum conjugii tempus : ex. gr. contrahemus post tres annos.

In primo casu dies adjectus nil confert quominus pure sponsalia contracta dicantur, et statim peti potest obligationis adimplementum, ne tempus obligationi præfixum pertranseat. Adveniente autem die perimendæ obligationi præfixo, utraque pars libera ab obligatione evadit.

Solum exipitur casus (cap. XXII, de spons.), quo dies adjectus sit cum restrictione : dummodo per aliquem non steterit quominus contrahatur : tunc enim pars quæ fuit in culpa, adveniente die, ab obligatione non solvitur, ne ex culpa commodum referat; licet alia pars libera evadat. Hæc restrictio præsumitur ex ipso capite citato.

Non debet etiam hic casus confundi cum alia specie : contrahemus infra annum. Tunc enim sponsalibus pure contractis accedit alter contractus de tempore ineundi matrimonium, tanquam pactum adjectum; non secus ac ille qui promittat infra annum pecuniam soluturum. Si anno elapso non solvens pactum infregit, non inde liberatur ab obligatione solvendi principali.

In altero casu, nonnisi die adveniente potest urgeri obligationis adimplementum, et ab eo die tanquam pure contracta essent, debent retineri.

3° Si conditionata fuerint sponsalia, pendente conditione nullum jus vel obligatio nascitur, sed sola spes matrimonii. Purificata vera conditione, licet quoad alios effectus jus et obligatio retrotrahatur ad tempus initi contractus; quoad vero matrimonium contrahendum, purificata conditione, censentur tanquam tunc pure essent inita, quando purificata conditio est,

et ab eo tempore eodem jure ac pura sponsalia demetiuntur.

Quibus mediis posset hoc adimplementum urgeri.

XX. Quid vero, si urgente obligationis adimplemento, sponsus vel sponsa renueret contrahere matrimonium; quænam juris remedia præsto sunt ut renuens obligationi satisfaciat?

Quæstioni huic respondere videntur duo capita Decretalium : de sponsalibus et matrimonio.

Cap. x. Propositus est Alexandro III° casus sponsi qui renuebat adimplere sponsalia quæ jurejurando firmaverat. Summus Pontifex respondet ut moneatur, et si monitis non acquieverit, censuris compellatur (nisi justa causa obstiterit) sponsam in uxorem recipere et maritali affectione tractare.

At capite XVII, in simili casu de sponsalibus jurejurando firmatis, quæ sponsa adimplere detrectabat, requisitus Lucius III, qua censura hæc mulier compelli deberet, respondet : Cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.

Quæstio inde oritur inter canonistas an Lucius III juri ab Alexandro III, statuto derogaverit.

Qui tenent generalem regulam proposuisse Alexandrum III, dicunt Lucium III vel proposuisse specialem exceptionem pro mulieris imbecillitate, vel illis verbis, monendas esse potius quam cogendas, docuisse modum servandi jus ab Alexandro statutum, non autem illi derogasse, videlicet non prohibuisse censuras adhibendas esse, sed ita adhibendas ut sponsi potius monendi quam cogendi sint.

At hic respondendi modus satisfacere non videtur

principio generali a Lucio III statuto : Libera debent esse matrimonia, et ad illud nemo cogendus, cum coactiones difficiles exitus soleant frequenter habere. Propterea hoc Lucii III definitum dignum vident, quod ponant pro regula generali; quapropter hanc deducunt theoriam :

Si judex præviderit tristes effectus qui provenirent ex matrimonio, si sponsos ad illud contrahendum censuris ecclesiasticis cogeret invitos; moneat, non cogat. Si præviderit infelices exitus matrimonium non esse habiturum, etiamsi sponsi ad illud cogerentur, moneat non solum, sed cogat. In primo casu, majus malum impedit quominus minus malum evitetur. Siquidem tolerabilius malum est, ut semel data sponsalium fides non servetur, quam ut in matrimonio, copulatis invitis, fides ipsa conjugalis cum summo et irreparabili familiæ et reipublicæ damno non servetur.

Hac posita theoria, explicant Alexandrum III de casu peculiari quo optimi effectus ex censurarum inflictione consequebantur, et summa avertebantur mala. Nam species proposita Alexandro III ex 1ª collectione Decretalium, hæc colligi poterat :

Duo nobiles viri in Anglia, ratione feudi, continuo et diuturno bello decertabant. Pacem cupientes pactum inierunt, ut filia unius conjux esset filii alterius; filii paternum pactum ratum habuerunt et jurisjurandi religione firmatum est. Post hoc unus ex istis, cum fraudibus parare vellet copias ad bellum restaurandum, suadere cœpit filio suo ut a sponsalibus resiliret. Filius fraudem ignorans, ex solo respectu parenti debito, sine ulla aversione erga sponsam suam, volebat a data fide resilire et ad alia vota transire.

Proposita est quæstio Alexandro III qui cum vidisset :

1° Nullum futurum fuisse tristem exitum hujus matrimonii; sponsus enim in sponsam nullam habebat aversionem vel odium, sed solum ex velleitate et reverentia paterna recedere volebat a sponsalibus;

2° Videbat ex hoc conjugio maximum bonum secuturum, videlicet pacem inter duo regna, quæ secus continuis bellis sese divexassent;

3° Perpendebat maximam jurisjurandi religionem, quæ cum omnibus contractibus suo tempore accederet, habebatur velut vinculum omnium obligationum moralium, et cum urgenti scandalo amborum regnorum, seu duarum nationum observatum non fuisset, licet solemni quodammodo firmatum;

4° Agnoscebat optimum effectum et venerationem ecclesiasticis censuris suo tempore præstitam;

Hisce omnibus perpensis respondebat : Quia periculosum est contra suum juramentum venire, mandamus ut eum moneas, et si monitis non acquieverit, censuris compellas (nec solum censura excommunicationis, sed et interdicti in universo regno).

Sed quidquid sit de hac quæstione, omnes conveniunt ut dicant nonnisi summa prudentiæ ad censuras infligendas veniendum esse hac in causa, ne aut censura contemnatur, aut damnosum et periculosum matrimonium sequatur; utrumque malum gravissimum foret.

Quomodo solvatur obligatio sponsalium?

XXI. Ad quatuor capita possunt revocari causæ solutionis sponsalium : 1° Mutuus dissensus; 2° Impedimentum superveniens; 3° substantialis immutatio

quæ si fuisset prævisa, non fuissent sponsi in matrimonium consensuri; 4° oscitantia celebrandi tempore legitimo.

A. — *De mutuo dissensu.* Mutuus dissensus considerari potest 1° ab initio contractus; 2° post contractum perfectum.

1° Ab *initio contractus* solvitur mutuo dissensu, si conditio conventa sit, vel dies adjectus perimendæ obligationis causa.

In sponsalibus impuberum inest tacita conditio : nisi facti puberes resiliverint. Ratio est judicii lubricitas et inconstantia. Ita vi legis, habent adjectum diem adimplendæ obligationis causa, videlicet pubertatem.

2° Post *initum contractum:* siquidem nil tam naturale est ut res eo modo quo colligata est, dissolvatur, dummodo non ita ligata est, ut solvi amplius non possit, ut matrimonium. Proinde omnes obligationes quæ mutuo consensu contrahantur, ni secus constet, mutuo dissensu solvuntur.

Dubitatum est an possint mutuo consensu dissolvi sponsalia *juramento* firmata?

Sed cum jusjurandum non immutet naturam actus cui accidit, si accedat solubili obligationi, obesse non potest quominus solvatur, licet si non solvatur, juramenti religione etiam detineatur qui juravit ut adimpleat.

Remitto autem superiori disciplinæ quæstionem an jusjurandum aliquando non accessorium sit, sed principale; hoc enim excederet limites Institutionum.

B. — *Impedimentum superveniens.* In genere quando res incidit in eum casum a quo incipere non poterat, sponsalia solvuntur; atqui cum impedimento ad ma-

trimonium incipere non poterant (in genere loquendo); ergo (in genere loquendo) impedimento superveniente solvuntur.

In specie vero distinguendum est, an impedimentum sit dirimens necne. Si sit dirimens, matrimonium absolute consistere non potest, et impossibilium nulla obligatio est. Si vero sit impediens; aut reddit matrimonium omnino illicitum, et redit idem principium, cum nemo ad immoralitatem queat obligari; aut non ita est, sed aliquo modo sustineri possunt sponsalia, et sustinentur quantum possunt.

Ita, ex. gr., votum simplex perpetuæ castitatis post sponsalia emissum, sustinetur ex ea parte qua non impedit jus alterius, ita ut intelligatur renuntiasse juri petendi alterius obligationem, non autem se substraxisse ab adimplenda obligatione in fraudem alterius.

Non aliter jure romano, l. 65 P. pro sociis § 6, statutum est ut si quis initæ societati ante tempus renuntiet, a se liberet socium, non liberet se a socio. Atqui Innocentius III (c. II, h. t.) comparat sponsalia societati; ergo, emisso voto a sponso non poterit ab eo sponsa ad matrimonium contrahendum obligari; imo ob mentitam fidem, habebit justam resiliendi causam, et si illa resiliat, qui vovit servandæ castitatis remanet obligatus. At si illa peteret obligationis adimplementum, non censetur juri alterius derogatum. Qui vovit, amisit petendi jus, non reddendi officium.

C. — *Mutatio quæ si prævisa fuisset*, etc. Præmissis in casibus, jure ipso solvuntur sponsalia; sed adsunt casus in quibus ipso jure non solvuntur sponsalia, sed datur justa resiliendi causa. Talis casus est mutatio aliqua quæ si fuisset prævisa, sponsi non contraxis-

sent. Hæc potest esse justa causa resiliendi a sponsalium fide, licet altera pars cui accidit mutatio, velit fidem servari.

Ratio quare a jure hæc potestas fit, est quia libera debent esse matrimonia; et sponsalia eo dirigantur ut interim possint sponsi se invicem experiri, non autem ut absolute in perpetuo conjugio essent adstricti : secus sponsalia a matrimonio non differrent.

Sed ubi ipso jure aperte non solvuntur sponsalia, solutionis causæ debent in judicio produci, ut sponsalia soluta declarentur; quod si judicis auctoritas nil velit pronuntiare, poterit implorari pontificia dispensatio, quæ tamen nonnisi gravi de causa interponitur.

Hæc mutatio contingere potest : 1° Quoad morales animi dotes; 2° quoad formam corporis; 3° quoad rei domesticæ facultates; 4° quoad circumstantias.

1° De Mutatione *dotium moralium* : Si 1° Mulier quæ putabatur pudica, talis non sit reperta, aut vir crudelis appareat; 2° vel alteruter sponsorum in fornicationem incidat. Fornicationi corporali æquiparatur fornicatio spiritualis : hæresis, apostasia, schisma; 3° Alter sponsorum infamiam incurrat. 4° Alter votum emisit : de imminuto alterius jure petendi debitum potest alia pars conquæri; 5° Alter ebrietatibus, latrociniis, vitiis se dedit.

2° *De mutatione corporis :* 1° Morbi incurabiles; 2° notabilis deformitas; 3° stuprum violentum sponsæ.

3° *Mutatio facultatum.* Hæc attenditur præsertim pro viro, si e divite pauper factus sit, et tribuitur sponsæ resiliendi facultas; non autem attenditur si quis e paupere factus sit dives.

4° *Mutatio circumstantiarum;* si exurgant capitales

inimicitiæ inter familiam et familiam; sed hoc potissimum a judice deliberandum, quia facile ex renuentia unius partis possunt statim oriri; culpabilis unius oscitantia celebrandi intra legitimum tempus. Non quidem quatenus, ut nonnulli putarunt, jus definiat aliquo determinato tempore durare obligationem, videlicet quinque, quatuor annis, etc., minime *sponsalia imitari matrimonii naturam* et producere obligationem perpetuam. Attamen jus est alterutri coram judice se sistere, ad terminum alteri statuendum, quo elapso altera pars ab obligatione liberatur. Ita si quis se transferat ad remotas regiones sine ulla reditus certitudine, judex definiet tempus opportunum juxta circumstantias.

Præter obligationem matrimonii, alter effectus sponsalium est *publica honestas*, de qua sequenti titulo, una cum impedimentis matrimonii.

II. De Impedimentis matrimonii.

XXII. Pseudo-philosophia ex una, pseudo-politica ex alia parte amittentes matrimonii conceptum, ut instrumentum cupiditatis, vel ut nudum officium civicum, considerarunt. Unde prodierunt duo opposita principia circa nubendi vel uxorem ducendi potestatem. Quorum systemata studuerunt hominum cupiditati tantamque fecerunt libertatem matrimonii contrahendi, ut nullum in hoc agnoscerent morale impedimentum, imo omnibus præciperent matrimonium.

Qui e converso temporalem status felicitatem velut ultimum finem inspexerunt, tantæ servituti subegerunt matrimonia, ut nulli liceret contrahere, nisi illi cui a principe positiva facultas esset facta. Utrumque systema naturali hominum conditioni pari modo re-

pugnans, licet circa prima corollaria dissentiret, ea tamen necessitate qua solent extrema facile inter se convenire, immoralitati aditum aperuit.

At Ecclesiæ legislatio naturæ hominum studens, et divina illustrata revelatione utrumque excessum vitavit facillime. Vidit enim homines natura ad matrimonium comparatos, nec aliam desiderare positivam facultatem ad contrahendum matrimonium. At vero non inde putavit homines exleges esse in re matrimoniali; nam sive jure naturali, sive positivo divino, quædam interdicebantur conjugia, et sibi jure divino concessam facultatem, ut eodem impedimenta determinaret, alia imponeret opportuna ad connubiorum christianorum honestatem et sanctitatem servandam.

Ergo mediam inter duos excessus tenuit viam : Unicuique fas est matrimonium inire, cui jure non prohibeatur. Triplici autem juri subduntur matrimonia Christianorum, videlicet naturali, divino, ecclesiastico : ergo ex triplici jure consideravit impedimenta ad matrimonium.

Non autem omnium impedimentorum eamdem vim esse suspexit. Generaliter equidem obtinet in jure, quod irritum omnino sit quod fit lege prohibente, quodque in omnibus contractibus servatur; quia privatorum voluntas non est publicæ legum voluntati et auctoritati præferenda. (L. 5, cod. de Legibus.) Dantur tamen casus in quibus acta, licet contra legem patrata, tamen semel ac posita sunt, reipublicæ intersit non everti. Unde non cohonestatur quidem actus illius qui contra legem deliquit, sed actus semel ac positus est, a lege ipsa ratus habetur, et tanquam validus sustinetur.

Exemplum habemus jure romano in interdicto : *ne*

quis in loco publico, quo prohibebatur ne quid in loco publico fieret. Hoc interdictum erat mere prohibitorium, non restitutorium; proinde si quis contra interdictum œdificasset in loco publico, non cogebatur œdificium semel factum demolire. (L. 2, § 17, ff.) Similiter si quis ex alienis cæmentis ædificasset, non jure quidem ædificaverat, sed pro utilitate publica ædificium non dijiciebatur.

Similiter obtinet in matrimonio, ne bonum prolis et utilitas publica periclitetur; videlicet contraria obtinet jurisprudentia quæ in cæteris contractibus, nempe sustinetur validitas matrimonii semel contracti, nisi lex prohibens, irritans etiam demonstretur. Stamus pro validitate, quousque non demonstratur nullitas actus, semel ac positus fuerit; præsumimus facultatem et libertatem actus valide ponendi, nisi per legem adempta demonstretur.

Ergo lex matrimonio interdicens præsumitur mere prohibitoria, non etiam irritans, nisi talis demonstretur, quod fit, si 1° vel munita sit expresse clausula irritante; 2° vel directo inficiat substantiam, essentiam, naturam ipsius actus. Cetera impedimenta velut mere impedentia censenda sunt.

Quapropter distingui solet tractatio de impedimentis in duas partes.

1° *De impedimentis dirimentibus.*

XXIII. Circa impedimenta matrimonii sicut in omnibus fere juris nostri partibus accidit, non potest constitui quædam theoria generalis a priori; non enim impedimenta omnia hæc jure divino sunt constituta, sed plura pro temporum opportunitate definita sunt, plura forte definientur.

Non ergo possunt ad quædam generalia, firma et immutabilia principia hæc impedimenta revocari, sed potius quæ hactenus definita sunt ad capita reduci, et singulariter eorumdem naturam et rationem explorare.

Itaque impedimenta matrimonium dirimentia, alia videntur directo respicere personas legitimas contrahentium, seu contrahentium *idoneitatem;* alia legitimam contrahendi *formam* et *modum*, seu idoneum contrahendi modum, ita ut vel vitio personarum quæ contrahunt, vel modo quo contrahunt matrimonium irritum reddatur.

Personarum vero inhabilitas ad contrahendum matrimonium attenditur vel *absolute* in ordine ad quælibet matrimonia, ad statum matrimonialem; alia attenditur *relative* ad quosdam, vel quædam matrimonia, seu ad matrimonium cum quibusdam personis contrahendum. Unde :

1° De absoluta personarum inhabilitate ad contrahendum matrimonium.

2° De relativa personarum inhabilitate.

3° De impedimentis quæ directo inhabilitant quemdam contrahendi modum, non personas contrahentium.

Quæs. 1ª. *De absoluta personarum inhabilitate ad contrahendum matrimonium.*

Inhabilitas absoluta ad matrimonium, jure quo vivimus, exurgere videtur ex triplici capite : 1° ex impotentia consentiendi ; 2° ex impotentia coeundi ; 3° ex status incompatibilitate.

A. De impotentia consentiendi.

XXIV. Qui consentire non possunt, nullum possunt inire contractum, siquidem contractus est : duorum

vel plurium in idem placitum consensus; ergo sunt naturaliter inhabiles ad matrimonium : tales sunt amentes, furiosi, ebrii, dormientes, cum omnes hi actuali rationis usu non gaudeant.

Sed alii sunt qui licet *naturaliter* possent consentire, tamen humana lege illorum consensus pro nullo habetur in ordine ad matrimonium de præsenti. Tales sunt qui, licet rationis usu gaudeant, nondum puberes sunt, ex quorum corporum imperfectione, immaturitas etiam judicii æstimatur et præsumitur in ordine præsertim ad ea quæ pertinent ad statum matrimonialem.

Porro magna viguit olim controversia inter juris romani consultos circa modum definiendi hanc pubertatem. Proculejani ex annis, Cassiani ex corporis habitu, pubertatem æstimare volebant. Placuit disciplina proculejanorum, prouti quæ commodior et verecundiæ magis accomodata, et primo pro fœminis, deinde etiam pro maribus recepta est.

Sed Ecclesiæ ita placuit adhærere proculejanorum præsumptioni, ut non derogaret Cassianorum veritati. Ergo definivit pubertatem masculorum XIV, et fœminarum XII anno completo, dummodo *malitia non suppleret ætatem*, videlicet dummodo corpus non præseferret perfectam habitudinem ad opera conjugalia cum effectu exercenda, unde maturitas etiam judicii valeat æstimari. In hac re judicium est ordinarii.

Ubi vero sufficiens haberetur cognitio status conjugalis sine pubertate nec vera, nec præsumpta, tunc cum ageretur de impedimento tantum actualis impotentiæ, circa quod dispensare non potest episcopus, recurrendum foret ad sedem apostolicam.

B. De impotentia coeundi.

XXV. Impotentia coeundi est incapacitas perficiendi carnalem copulam, vel consummandi matrimonium, seu efficiendi id per quod conjuges non sunt amplius duo, sed una caro, ut distinguatur ab infæcunditate, seu sterilitate seminis, quæ dicitur impotentia generandi, quæ arcanæ Dei providentiæ, in generatione hominis concurrenti relinquenda est. Non semel enim accidit ut, licet bonum semen seminatur et legitimo modo, Deus incrementum non det, et non germinet, dum contra, aliquando Deus habitare facit sterilem in domo, et insperato fœtum concipiatur.

1° Hæc impotentia oriri potest vel a causis naturalibus vel ex maleficio. Berardi putat hæc maleficia fuisse vulgares superstitiones mediæ ætatis. Sed quidquid sit de facto, vel potius de factis cum omnibus suis adminiculis inspectis : quod arte diabolica hujusmodi effectus produci queant, non videtur ambigendum. (Consule Gonzalez.)

2° Absoluta esse potest aut relativa. Absoluta quæ est in viro, respectu omnium fœminarum, aut vice versa; relativa quæ consideratur respectu ad unum et unam, non respectu ad omnes.

3° Temporanea quæ idoneis remediis potest superari, vel perpetua quo naturalibus remediis aut absolute tolli non potest, aut saltem sine vitæ periculo.

4° Antecedens vel subsequens matrimonium. Antecedens vero, vel cognita a contrahentibus vel ignorata.

Theoremata.

1° Temporalis impotentia non dirimit matrimonium; nullo enim jure actualis concubitus requiritur ad matrimonii essentiam.

2° Subsequens non dirimit; quia tum divino, tum ecclesiastico jure matrimonium est indissolubile.

3° Antecedens perpetua passim dicitur dirimere matrimonium de jure naturali et positivo ecclesiastico.

Quod pertinet ad jus naturale, dicitur ex eo quod finis propagationis sobolis sit conjugio essentialis [1]. Sed hoc patitur non leves exceptiones. Nam licet matrimonium sit medium ordinarium a natura præstitutum ad propagationem speciei humanæ, non tamen hic est finis qui determinat conceptum hujus societatis. Nam finis primarius matrimonii est individua vitæ conjunctio ad commune adjutorium; proinde videretur concipi posse matrimonium, nullo habito respectu ad copulam conjugalem, et cum renuntiatione juri quod inde ex hac societate nasceretur ad prolis procreationem.

Adde quod veteri jure, præsertim Ecclesiæ Romanæ, videtur consideratum impedimentum ligaminis etiam in hujusmodi impotentium matrimoniis, præcipue quando notum erat hujusmodi impotentiæ vitium ante contractum; ut videre est in titulo de Frigidis.

Quod vero pertinet ad jus canonicum, affertur quoddam breve Sixti V quod profertur tum a Sanchez, tum etiam a Giraldi, in cap. IV de Frigidis. Sed ibi

[1] Cum enim procreandæ sobolis causa, nuptiæ comparatæ sint, ad essentiam matrimonii pertinet potentia perfectæ copulæ habendæ, sine qua hic finis non potest obtineri. Quamvis enim, ut ait S. Thomas, carnalis copulæ actus non sit de essentia matrimonii, potentia tamen ad hoc est de ejus essentia, quia per matrimonium datur unicuique conjugi potestas in corpore alterius respectu carnalis copulæ.

Sixtus V videtur declarare tanquam irrita matrimonia quæ fiebant in Hispania ab eunuchis, non ad simplex vitæ adjutorium sine respectu ad copulam, sed præcise, ad finem nefarii concubinatus. Cæterum res periculi plena est, et saltem universali Ecclesiæ praxi receptum videtur, quod talia matrimonia tanquam nulla habeantur, et qui sic contraxerint separentur. Hoc autem qua prudentia fiat, vide apud Giraldi, Berardi et alios communiter.

C. De incompatibilite status.

XXVI. Tres sunt status incompatibiles jure nostro cum statu matrimoniali suscipiendo et cum eo inconciliabiles, ita ut qui in uno ex iis tribus constitutus matrimonium attentaverit facere, matrimonium illius nullum habeatur et irritum. Sunt autem : Status religiosus, status sacri ministerii, status conjugalis, quorum primus solemnium votorum professione, alter sacri et majoris ordinis susceptione, tertius matrimonii celebratione inauguratur.

Primus et alter status sunt perpetui (excepto casu sæcularizationis vel degradationis, sed hæc suo loco); tertius perdurat usque ad vitam alterius conjugis; sed omnes respective ad quamdam fidem vèl religioni, vel Ecclesiæ, vel conjugi servandum, ita ut matrimonium attentatum nullum sit. Sub hoc capite ergo reducuntur ea impedimenta dirimentia quæ dicuntur : Votum, ordo, ligamen.

1° *De impedimento voti, seu de statu religioso in ordine ad matrimonium.*

XXVII. Fuit problema pseudo-politicis elapsi sæculi insolubile, quomodonam promoveri posset populi

augmentum fovendo matrimonia, et simul avertere publicam calamitatem, ex indefinito populi augmento cui vitæ desint necessaria. Nam ipsi constituentes felicitatem nationum in augmento indefinito populorum, proclamaverunt effrænam matrimoniorum libertatem, damnarunt cælibatum tanquam si terram depopularetur.

Sed viderunt ex alio capite homines multiplicari posse sine modo, et media moralia inde deficere, quibus continerentur, et media materialia quibus sustentarentur. Ergo ex tanta libertate, vel in extremum tyranniis devenere, ut pluribus matrimonio idoneis violenter matrimonium interdicerent, aut variis consiliis et oppositis opinionibus implicati nil definire potuerunt.

Sed quæ abscondita sunt sapientibus, revelata sunt parvulis. Pauca Christi verba nodum solvunt: *Sunt eunuchi qui de matris utero sic nati sunt, et sunt eunuchi qui ab hominibus facti sunt, et sunt eunuchi qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum, qui potest cœpere, cœpiat.*

Videlicet præter naturalem impotentiam quam quidam vel nativitate, vel superveniente calamitate sortiuntur erga matrimonium, gratia Dei hominum multitudini suasit et suadet possibilem esse et perfectiorem continentiæ statum, et ita opponit suave et voluntarium obstaculum tendentiæ propagatrici, quin ad pejora provocet delicta.

Ecclesia hunc statum perfectionis qui sanctitati mysteriorum et plebis institutioni esset opportunus clericis injunxit; alii perpetuo voverunt; alii statui cœlibatus statum voluntariæ paupertatis adjungentes bona hujus temporis conjugibus uberiora reliquerunt

cum summo fœcunditatis et felicitatis effectu. His præhabitis, nunc de impedimento voti.

Quidquid sit de quæstione : an valeat matrimonium contractum cum conditione illud nunquam consummandi, sed servandi perpetuam continentiam et virginitatem, certum est quod ex matrimonio, cum ordinatum ex natura sit tanquam medium propagationis, nascatur jus utriusque conjugis ad copulam carnalem, cui respondet mutua obligatio illam reddendi, quo fiat ut *mulier sui corporis non habeat potestatem*, *sed vir ;* similiter *vir non habeat sui corporis potestatem*, *sed mulier*.

Ergo qui votum emisit perpetuæ castitatis non potest matrimonium contrahere sine voti sui violatione. Licet enim posset illud custodire ex ea parte qua non petat debitum, non potest tamen sine violatione jurium alterius conjugis illud servare non reddendo debitum. Unde concludimus quod ille qui vovit Deo castitatem perpetuam, matrimonium contrahere legitime non potest. Excepto tamen casu matrimonii quod fiat mutua conventione nec petendi, nec reddendi debitum, vel peculiari Dei revelatione quæ certos reddat quod petitio, vel redditio debiti nunquam sequetur.

Sed hæc lex quæ prohibet voventibus matrimonium est ne lex mere *prohibens*, an etiam *irritans?*

Diversa responsio est pro varietate principiorum unde quæstio solvenda sit.

1° Si quæstio definienda esset mero jure naturali inspecto, deberemus dicere quod lex quæ prohibet voventibus matrimonium, mere prohibens sit, non irritans.

Nam primo, ut a præludio dicebamus, lex prohibens

in re nostra non præsumitur irritans nisi ut talis positive demonstreretur; vel ex eo quod contineat clausulam irritantem expressam, vel implicite quatenus lex directe spectet substantiam matrimonii. Jam vero generalis naturæ lex quæ præcipit servari vota, nec ullam continet certe clausulam irritantem explicitam quoad matrimonia voventium, nec ea directo prohibet quatenus aliquid de substantia et essentia matrimonii in iis connubiis desideretur.

Nam status conjugalis non est absolute incompatibilis cum statu castitatis, quia usus carnalis copulæ non requiritur in connubiis, et mutuo consensu possunt conjuges illi renuntiare, vel Deo continentiam perpetuam vovere. Ergo lex naturalis non interdicit voventibus matrimonium, tanquam quid incompatibile et absolute repugnans cum voti custodia, tanquam prohibet matrimonia inter patrem et filiam, vel matrimonia cum conditione turpi contra substantiam matrimonii; sed solum habet actum carnalis copulæ tanquam inconciliabile cum voti custodia, et non respicit matrimonium nisi indirecte, et quatenus relationem dicat ad illam; non aliter ac jus naturale prohibet filiis matrimonium, dissentientibus parentibus, non directe qua matrimonium est, quasi aliquid de substantia illius desideretur, sed indirecte, accidentaliter et sub generali principio quo inculcat obsequium ergo parentes.

Adde jus positivum ecclesiasticum agnoscere validitatem matrimonii nonnullorum voventium, ut inferius dicemus, et proinde non agnoscere hanc legem naturalem tanquam irritantem præ ratione voti simpliciter.

2° Si quæstio esset definienda ex jure canonico,

distinguere deberemus inter votum simplex et solemne. Hæc distinctio tota juris ecclesiastici est, seu ut habet Bonifacius VIII (cap. uni. de Voto in 6°) : *Voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa*, videlicet dixere scholastici votum solemne castitatis illud : *cui beneficium consecrationis, vel propositum religionis accesserit*, ut habet Gratianus (ad can. 8. dist. 27), seu ut explicatius et clarius habet Bonifacius VIII (cap. un. de Voto); *quod solemnizatum fuerit per susceptionem ordinis sacri, aut per professionem factam alicui de religionibus per sedem apostolicam adprobatis*, cujus *professio*, ut explicat Joannes XXII (Extrav. uni. de Voto) *ad castitatis custodiam et abdicationem temporalium suos professores adstrinxit*, quæ non habentur in professione aliquorum militarium ordinum, et tertii ordinis St. Francisci et Dominici.

Cum autem recentiori jure, approbati sint a sede apostolica etiam alii ordines qui non habent votorum solemnitatem, sed tantum in professione emittunt vota simplicia, et votum castitatis non amplius ante susceptionem sacrorum ordinum exigatur (adeo ut videatur potius ordo sacer ex lege Ecclesiæ, comparatus statui religiosi qui professus fuerit vota solemnia quoad effectum matrimonii contrahendi, quam proprie habere adnexum votum solemne castitatis), possumus dicere votum solemne, illud quod emittitur in professione religionis a sede apostolica approbatæ cum clausula et facultate emittendi vota solemnia, cætera autem vota vel in religione vel extra religionum emissa esse vota simplicia.

Cum autem Societatis Jesu constitutiones admittant duplicem professionem; aliam videlicet minus solemnem post triennium probationis, in qua emittuntur

vota simplicia, et alteram provectiorem in qua emittuntur vota solemnia (Constitutionibus Gregorii XIII. *Quando fructuosius* 1582, et *Ascendente Domino* 1584). Votum castitatis quod in ea professione minus solemni emittitur, æquiparatum est voto solemni in ordine ad contrahendum matrimonium (non autem contractum). Votum autem hoc professum abstringit quousque in religione Societatis Jesu permaneat; solvitur autem statim ac a superioribus legitime dimissus fuerit, ut observat idem pontifex, prædictis constitutionibus, et post ipsum animadvertit Benedictus XIV (de Syn. l. 13, c. 11-29).

Hac præmissa notione voti simplicis et solemnis, et relicta quæstione an jure antiquo agnita fuerit hæc solemnitas votorum, et ipsorum efficacia major præ votis simplicibus (Devoti, de Imp. vot. — Berardi: de vinculis voluntariis, etc.), definitum est pluribus in locis juris nostri (Giraldi. Appendix 1 ad l. 4 Decret.) quod votum simplex castitatis impediat quidem, non dirimat matrimonium; solemne autem dirimat non tantum contrahendum, sed si fuerit emissum in professione religionis, dirimat etiam ante contractum (quod fuerit ratum et non consummatum) ex facultate conjugibus de jure communi concessa, qui non censentur renuntiasse in favorem vitæ perfectioris, quando contraxerunt matrimonium.

Propterea de ipso jure communi conceduntur conjugibus duo menses ad deliberandum an velint religionem ingredi, nec intra hoc tempus potest alteruter cogi ad illud consummandum (cap. 8 de Convers. conjug.).

Sed ingenia canonistarum vexat acerrima quæstio de investiganda ratione, quare Ecclesia tanti fecerit

votum solemne præ voto simplici castitatis, cum natura sua non differant, aut saltem non videantur differre, et utrumque similiter obligare apud Deum.

Alii in alias abiere sententias :

1° Nonnulli putarunt quia major est deliberatio in voto solemni, quam non sit in voto simplici. Sed hæc est mera præsumptio; sed realiter aliquando contra accidit.

2° Alii dixerunt in voto simplici esse meram promissionem personalem; in voto autem solemni præterea fieri quamdam traditionem corporalem, et persona quodammodo sæculo moriatur in professione religiosa, vel de profana fiat sacra in ordinatione (Berardi, l. cit.).

3° Berardius ipse, dum reprobat has sententias, aliam excogitat viam; videlicet, præmisso quod votum suapte natura non dirimat matrimonium, quia in concursu duarum divinarum legum, quarum altera generaliter exigit voti adimplementum, alia specialiter matrimonii stabilitatem, illa pro bono individui, hæc pro bono familiarum et totius societatis, conciliantur quantum possunt; sed in quantum colliduntur, hæc illi anteferenda est; præmisso, inquam, quod votum continentiæ suapte natura non dirimat matrimonium, dicit votum solemne ideo dirimere, quia lex Ecclesiæ, in eo impedimento apposuit clausulam irritantem.

At præterquam quod ratio ab eo allegata ut probet votum suapte natura non dirimere matrimonium, videtur supponere quod est in quæstione, videlicet quod robur matrimonii post votum contracti subsistat, deinde non solvit quæstionem nostram : quærimus enim causam, quare tanta in voto solemni adinveniatur vis ex lege Ecclesiæ, quæ non consideratur in voto

simplici, dum natura sua non videntur differe, et solum differentiam quamdam extrinsecam habere ex Ecclesiæ constitutione inductam.

Ut hæc quæstio solvatur, animadverto quod, licet votorum solemnitas, ex sola Ecclesiæ constitutione sit inducta, non inde sequitur quod habeant inter se meram differentiam extrinsecam et juris ecclesiastici, nec realiter differant ante Deum in suis respectibus moralibus.

Plura enim sunt quæ facto hominum inducuntur, et jure divino et quidem naturali firmantur, quatenus videlicet factum hominum concurrit velut conditio, quæ posita, jus divinum evolvitur. Ita nemo jure naturæ pure inspecto, constituitur rex, nemo conjux, nemo pater, nemo filius, nemo dominus, etc.; sed positis humanis factis quæ determinant regna, civitates, connubia, familias, dominia, etc., nascuntur jura naturalia regum, civium, conjugum, etc., et plures naturales differentiæ emergunt, quæ independenter ab humanis factis, pure inspecto jure naturæ, non apprehendebantur, sed ab iis pendebant tanquam a conditionibus, quibus semel positis jus naturale evolveretur.

Non dissimili modo, nullus obligatione voti tenetur mero jure naturæ inspecto; votum enim pendet ex facto humano tanquam a conditione sua, qua posita, obligationes voti nascuntur. Similiter posito facto voti cum omnibus iis quæ de jure requiruntur ut votum stet, eadem omnium voventium est conditio in ordine ad obligationem nascentem ex voto emisso, nec potest jure naturæ considerari inter eos intensior et validior, aut remissior et infirmior obligatio in ordine ad voti custodiam.

Sed posito facto Ecclesiæ inducentis vota solemnia, nascuntur quædam graviores obligationes et firmiora vincula pro solemniter voventibus, quæ desiderantur in votis simplicibus; quædam intrinseca differentia inter votorum obligationes, et quædam differentia inter juris effectus in ordine ad voventes, quæ ante hanc Ecclesiæ constitutionem non aderant.

Hæc autem validior obligatio, hoc firmius vinculum in votis solemnibus ex duplici præsertim capite ortum puto :

1° Quia in votis solemnibus judicium intervenit Ecclesiæ, quod illorum objectum constituat *bonum melius possibile* pro individuo ; non sic autem in votis simplicibus, ubi illorum objectum est quidem *melius* et *possibile* in abstracto ; sed solum judicio individui privati, vel secundariæ alicujus auctoritatis creditur *melius* et *possibile* etiam pro individuo. Inde perfectio moralis individui potest quidem esse rationem dispensationis voti simplicis, non sic autem in voto solemni, quousque individuum sub regula illa quam professus est, continetur.

Unde solvi solent vota solemnia, vel cum elanguescit regula et immutantur omnes circumstantiæ quarum respectu judicatum est ab Ecclesia illud est *melius* et *possibile* pro individuo ; ut accidit in suppressione, vel dispersione vel languescente regula religiosorum, aut quando aliquod bonum extraneum perfectioni morali individui urget votum solvi ; prout accidit cum id postulet vel bonum physicæ valetudinis, vel bonum familiæ, vel regni, vel Ecclesiæ.

Unde cum votum solemne ex Ecclesiæ judicio et auctoritate, certe sit ratum apud Deum, et publico Ecclesiæ judicio recognoscatur ut tale, determinat

statum perpetuum individui, et est difficillimæ dispensationis ; contra accidit in votis simplicibus.

Unde firmitas quædam tum apud Deum, tum apud Ecclesiam, provenit votis solemnibus, et quædam peculiaris incompatibilitas et repugnantia voti solemnis castitatis et status conjugalis.

Inde considera quomodo cum voto solemni castitatis comparatur ordo sacer, qui etiam ad quoddam vitæ genus coram Deo et coram Ecclesia, ad quemdam statum immobiliter servandum determinat, qui vitæ status est incompatibilis cum matrimonio. Cum solemni autem voto castitatis non comparatur votum simplex castitatis, quod emittitur in aliis religionibus minus solemniter ab Ecclesia approbatis, quia in iis non sic determinatur et defigitur perpetuus status personæ, sicut in solemni professione.

2° Votum solemne castitatis quod emittitur in professione religiosa, reperiri debet semper conjunctum cum voto paupertatis et obedientiæ, perpetuæ cuidam regulæ, cum quadam plena expoliatione et absoluta renuntiatione, et expropriatione propriæ personæ in favorem regulæ ; ita ut professus non habeat amplius sui corporis, suimetipsius potestatem, sed regulæ sit perpetuo mancipatus : quod absolute incompatibile est cum statu matrimoniali.

Hæc omnia desiderantur in voto simplici perpetuæ castitatis, et si aliquantisper inveniantur in votis simplicibus quæ emittuntur in professione religiosa, ubi religio non est approbata cum facultate emittendi vota solemnia, cum votum simplex, ut supra dicebamus, non sic absolute definiat statum personæ sicut votum solemne, consequens est ut illa absoluta et perpetua inhabilitas et incompossibilitas non reperiatur.

Unde etiam ex hoc capite bene comparatur votum solemne castitatis cum ordinis sacri, vel alterius matrimonii vinculo, quia etiam in his casibus perpetuo alligatur ministerio Ecclesiæ, vel uxori; qui status sunt incompatibiles in ordine ad contrahendum matrimonium, quod iniri non posset sine violatione juris tertio acquisiti, et sine amissione status semel et perpetuo suscepti. Non potest tamen comparari cum voto religionem ingrediendi vel profitendi, quia hoc in casu, status nondum est susceptus, nec jus tertio acquisitum est.

Ad has rationes fortasse reducuntur illæ quæ subobscure proferuntur a canonistis, cum dicunt votum simplex emitti minori deliberatione, e contra votum solemne; sic votum simplex æquiparatur promissioni, et votum solemne traditioni; etiam votum simplex assimilari sponsalibus, et votum solemne matrimonio; in voto solemni, personam mori, etc.

Utramque allatam rationem si jungas, videbis quare Ecclesia tanti fecerit votum solemne præ simplici, et viderit eam incompatibilitatem voti solemnis cum matrimonio, quam non vidit in voto simplici cum ipso.

Adde etiam, si placet, quod si voto simplici daretur vis irritandi matrimonium, facilis reperiretur via illud defraudandi, cum quis matrimonium semel contractum fastidiens, asserere posset se ante illud castitatem perpetuam vovisse.

2° *De ordine sacro.*

XXVIII. Omnes facile dabunt non adesse jure divino quamdam absolutam incompatibilitatem inter statum clericalem et statum conjugalem; sed omnes etiam

admittent officia conjugis et patris familias valde distrahere ab officiis clericalibus.

Est enim status clericalis totus divinis officiis mancipatus : *Qui autem sine uxore est, cogitat quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo* (aiente Paulo) : *qui autem cum uxore est cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* Et idem Paulus I ad Cor. 7. monet conjuges *vacare ad tempus* ab usu conjugali, quando instat tempus orationis.

Adde cœlibatum clericorum valde conferre pro existimatione et reverentia status clericalis quem decet major perfectio prout nobiliora gerit officia in Ecclesia.

Hæc intuita Ecclesia distinxit hac in re ordines minores et non sacros ab ordinibus majoribus et sacris. In illis amavit cœlibatum; non tamen prohibuit nuptias, et multo minus interdixit (saltem generaliter et absolute) usum nuptiarum jam contractarum, siquidem conjugatos ad eos suscipiendos admisit.

Quod potissimum per ea tempora obtinuit, quando qui in minoribus ordinibus initiabantur, in iis perpetuo consistebant. At postquam obtinuit ut minores ordines essent via ad majores, statutum est sæculo XII, ut qui in minoribus ordinibus contraxissent matrimonium, quasi ecclesiastico muneri renuntiassent, removerentur a suorum ordinum officio (cap. I et seqq. de Clerico). Solum Tridentini Patres in ses. 25 de Ref. cap. XVII, iis concesserunt, ut si clerici cœlibes deessent, suos ordines veluti clerici subsidiarii exercerent, dummodo essent probatæ vitæ, non bigami, ad munera gerenda idonei, et tonsuram ac clericalem habitum gestent.

Similiter hodie laici, si conjugati, non admittuntur ad ordines, nec minores, nisi de consensu uxoris, quæ

debet vel votum *perpetuæ* castitatis emittere, vel in monasterio perpetuo commorari.

Hæc servat Ecclesia latina. Græci admittunt indiscriminatim ad ordines minores conjugatos, iis permittunt usum uxorum et nuptias, exclusa bigamia.

At severior est Ecclesiæ disciplina quoad ordines majores et sacros, cum ii sint qui firmant perpetuo statum clericalem, ita ut non liceat amplius ad sæcularia vota redire, et ii sint qui propius homines approximant ad divina mysteria.

Itaque perpetua et universali disciplina receptum est in Ecclesia, ut in sacris ordinibus initiatis interdicerentur nuptiæ : quæ prohibitio in Ecclesia græca comprehendit episcopos, presbyteros et diaconos ; in Ecclesia latina vero includit etiam subdiaconos ; nam hi sunt in majoribus et sacris penes latinos. Imo tam cauta fuit, hac in re, Ecclesia latina ut voluerit subdiaconos ante ordinationem emittere votum perpetuæ castitatis, ut sic magis clerici monerentur de servanda castitate.

At hic quæritur an hæc lex quæ interdixit clericis majoribus matrimonium, fuerit mere prohibens aut etiam irritans ?

Quod spectat ad Ecclesiam occidentalem, saltem a sæculo XII, sub concil. Lateran. 1°, certo hæc lex constituta est velut irritans. Sed primis Ecclesiæ sæculis, potius prohibens quam irritans habita est. Deponebantur enim qui post sacram ordinationem uxorem duxissent, ab officio clericali, sed non solvebantur a conjugio.

Dixi, saltem a sæculo XII ; nam nonnulli putant jamdiu a sæculo VI, habitum fuisse velut irritum matrimonium contractum a clericis majoribus.

Ad Ecclesiam vero orientalem quod attinet, hodieque ambigitur an matrimonium clericorum majorum post sacram ordinationem contractum subsistat. Placuit pluribus, uti refert Benedictus XIV, constitutione : *eo quamvis*, hæc matrimonia esse tantum illicita ; sed addit esse magis consentaneam praxi congregationum romanarum, sententiam quæ ea tenet tanquam invalida. Hac in re citat Justinianum qui (lib. XLV, cod. de Ep. et cler.) vocat horum nuptias nefarias et incestuosas, et filios inde natos illegitimos, *juxta ea quæ sacris visa sunt canonibus.*

Sed quod spectat ad Italo-Græcos, seu Græcos et Albanenses qui in Sicilia et Calabria commorantur, nulla controversia est. Nam idem Pontifex statuit in sua constitutione : *Etsi Pastoralis*, cap. VII, de Sacr. Ord. nº 27, quod si quis subdiaconus, diaconus, presbyter, post sacram ordinationem, uxorem duxerit, sit deponendus et ab illegitima uxore separandus. Matrimonium enim post recensitos ordines contractum, nullum et irritum declaramus.

3º *De ligamine.*

XXIX. Cum constet divino jure, secundum primitivam matrimonii institutionem, proclamatam fuisse *monogamiam* et *indissolubilitatem nuptiarum*, dubitari non potest divino jure prohibitum fuisse, vivente conjuge, alteri nubere. Unde unum matrimonium factum est impedimentum ad aliud quousque primum per mortem non solveretur.

Impedimentum autem hoc velut initum agnitum est, quando Christus juxta ea quæ præfati sumus, dixit mœchari eos qui, dimissa uxore, alteram ducat. Ergo satis ex hac re.

Quæst. 2ª. *De relativa inhabilitate ad matrimonium.*

Inhabilitas relativa ad matrimonium ex triplici capite exsurgere videtur :

1° Ex aliquo propinquitatis vel necessitudinis vinculo præexistenti;

2° Ex dispari, vel differenti cultu religioso;

3° Ex complicitate, vel correitate in crimen.

A. De Vinculo propinquitatis.

Tria sunt propinquitatis vincula, unde nascitur quidam amor verecundus et reverentialis qui cum matrimoniali confidentia non bene conciliatur. Sunt autem :

1° Vinculum consanguinitatis, seu cognationis naturalis, cui intellectu juris assimilantur vincula cognationis legalis et spiritualis.

2° Vinculum affinitatis ex consummatione matrimonii cui assimilatur affinitas ex copula illicita.

3° Vinculum publicæ honestatis ex matrimonio etiam non consummato, dummodo non sit nullum ex defectu consensus, cui assimilatur publica honestas nascens ex sponsalibus validis.

1° *De vinculo consanguinitatis.*

XXX. Cognatio naturalis seu consanguinitas est vinculum personarum, quarum omnes ab eadem persona tanquam progenitore, seu communi stipite, ut aiunt, per carnalem propagationem derivant.

Generatio immediata, cum una alteram genuit; mediata quando una alteram non genuit, sed ab eodem stipite per generationes carnales promanant : frater, soror; inde linea recta vel transversalis.

Linea recta est series personarum quarum una alte-

ram genuit, quæ est descendentium et ascendentium.

Linea transversalis est series personarum quarum una aliam non gignit, sed omnes ab una per generationem.

Possunt autem distare a communi stipite æqualiter, vel inæqualiter; linea æqualis et inæqualis.

Linea est series vel ordo personarum inter quas communio sanguinis intercedit. Gradus est distantia inter personam et personam a communi stipite.

Regulæ pro gravibus :

1° Pro linea ascendentium et descendentium, tot sunt gradus quot sunt personæ, dempto uno stipite.

2° Pro collaterali æquali : Quot gradibus a proximo communi stipite personæ distant, tot gradibus distant inter se.

3° Pro collaterali inæquali : Quot gradibus distat persona remotior a communi stipite, tot gradibus distant inter se.

Jus civile sive in linea recta, sive in collaterali respicit numerum personarum de quarum consanguinitate inquiritur in causis successionem; et quot personæ tot gradus enumerat, una ipsarum dempta.

Ecclesiæ computat per generationes, et jus civile per gradus. Porro nomen generationis uberius est. Nam prima generatio comprehendit parentes et omnes liberos immediate ab iis genitos; unde fratres sunt in prima generatione, sed generatio juxta civile comprehendit primum et secundum gradum. Ita secunda generatio comprehendit nepotes respectu avi, qui consobrini sunt inter se : ergo quartum gradum. Ergo computatio graduum, juxta jus civile invenitur in ratione duplicata computationis per generationes.

Sed sumendo nomen gradus ex jure civili, Ecclesia non sumpsit computationem; ergo ut computatio per gradus applicaretur computationi per generationes, debuit dici primus gradus prima generatio, secundus gradus secunda generatio. Sed quælibet generatio comprehendit ascendentes et descendentes et collaterales. Inde in quolibet gradu, seu generatione distincta est linea recta a linea obliqua, seu transversali, vel collaterali.

XXXI. Cur autem vetita sint matrimonia inter consanguineos? et quomodo?

1° Ob concupiscentiæ compressionem, cui frænum laxaretur si matrimonia ita inter familiares qui sub iisdem tectis commorantur, contraherentur;

2° Ob reverentiam parentibus debitam; 3° ob diffusionem charitatis.

Ex proximitate enim quidam amores oriuntur, qui cum amore conjugali male consociantur; sed verecundus propinquitatis amor cessare debet, ut liber et confidentialis amor incipiat. Sed natura vult amorem diffundi, non extingui conjugio; inter enim alios fines quos sibi Deus proposuit instituendo matrimonium, enumerari posse videtur, cum Augustino (lib. XV de Civit., cap. XVI), finis diffundendæ charitatis. Ergo in ipsa natura fundamentum est, ut per hujusmodi propinquitates, nuptiæ non consistant.

Tamen cum in ipsa propinquitate varii gradus possint enumerari, et quo magis gradus a suo principio fiant remotiores, eo magis naturalis ille amor minuitur, opus erat ut humana lex determinaret gradum quo nuptiæ interdicerentur.

Hoc autem efficit modo magis, modo minus protrahendo hujusmodi vincula, juxta quod publica utilitas

postularet, vel quod remotæ familiæ consociarentur conjugiis, vel familiæ inter se dissitæ et remotæ, reciproca consuetudine abstinerent.

1° Primis Ecclesiæ sæculis, ne opponerentur obstacula matrimoniis christianorum, cum ex alia parte connubia cum gentibus erant interdicta, quæ maximam civium partem constituebant, videmus Ecclesiam paucissimis gradibus hac impedimenta contraxisse. Forte cognatio naturalis non ultra *secundam* vel *tertiam* generationem prohibuit nuptias.

2° Sed circa sæculum VIII videmus protractam prohibitionem nuptiarum usque ad *septimam* generationem inclusive, ut rariora fierent connubia penes indigenas et ad exteras diffunderetur charitas.

3° At sæculo XIII, cognatio ita protensa, non erat amplius coordinata circumstantiis temporum. Nam Europa in tot parva regna decisa quot erant provinciæ et omnia continuis bellis sollicitate, et continuis simultatibus, non permissa fuissent connubia ex uno in aliud regimen, intra regnum extra illum gradum contrahi non pôterant. Ergo cœperunt dispensationes, quibus res perducta est ut usque ad *tertium* vel *quartum* gradum nuptiæ permitterentur.

Inde sæculo XIII, concilium Lateranense IV sub Innocentio III, contracta est cognatio naturalis usque ad *quartum gradum inclusive*, eique legi hodie obtemperamus adhuc.

XXXII. Hic quædam sunt addenda de cognatione spirituati et legali, quod causa spiritualis generationis per baptismum, vel civilis cognationis per adoptionem inductæ sunt.

Cognatio *spiritualis* oritur ex generatione spirituali baptismatis, quæ perficitur confirmatione :

1° Inter suscipientem et baptizatum, seu confirmatum, ejusque patrem et matrem.

2° Inter ministrum baptizantem aut confirmantem, et baptizatum vel confirmatum, ejusque patrem et matrem.

Cognatio baptizati cum baptizante, patrino, matrina, dicitur paternitas, filiatio spiritualis.

Cognatio baptizantis, patrini, matrinæ, compaternitas vel commaternitas. Ex concilio Tridentino sufficit unus vel una, ad summum unus cum una.

Cognatio *legalis* est : personarum propinquitas ex legitima adoptione. Quæritur an ex sola perfecta seu arrogatione oriatur, an etiam ex imperfecta (Vide Bened. XIV, l. IX).

Hæc cognatio dicitur : paternitas, fraternitas, affinitas.

Paternitas est inter adpotantem et adoptatum, ejusque descendentes. Sanchez et plures existimant cognationem hanc et impedimentum ex ea profluens ad primum gradum extendi, et ad eos omnes qui adoptionis tempore sub potestate adoptati reperiuntur. Ergo :

1° Non excedit primum gradum, sed consequenter extenditur ad alios. Dirimit

2° Inter adoptantem et filiam filiæ adoptivæ,

3° Adoptantem et filiam illegitimam adoptati non attingit paternitas.

Sed nonnulli protrahunt ad infinitum; alii ad quartum gradum inclusive. Fraternitas est cognatio legalis inter collaterales; inter fratres et sorores dirimit quandiu durat adoptio. Nomine filiorum adoptantis veniunt legitimi. Filii illegitimi non sunt sub patris potestate.

Adoptatus et adoptata ex communi sententia possent, quia cognati fiunt cognatis, sed non inter se.

Affinitas inter adoptantem et uxorem adoptati, et vicissim, dirimit etiam soluta adoptione.

2o. *De Vinculo affinitatis.*

XXXIII. Altera proximitas dicitur *affinitas*, quæ ex consummatione matrimonii nascitur, qua fit ut conjuges una caro facti communicent inter se consanguinitatem, et quasi unus in locum alterius sustineatur, et contrahat quamdam analogam proximitatem cum alterius conjugis consanguineis, ita ut pater et mater unius fiat quasi pater et mater alterius; frater et soror unius fiat veluti soror vel frater alterius : filii vel filiæ unius fiant veluti filii et filiæ alterius.

Unum enim, non duo sunt conjuges, et proinde quod de uno dicitur, aliquo modo de alio potest prædicari. Sed hæc per similitudinem, uti videtis, non per proprietatem; manent enim duæ superatæ hypostases, licet tamen uno animi et corporis nexu devinctissimæ et inseparabiles.

Unde hæc nova propinquitas orta inter conjugem unum et consanguineos alterius non potuit dici consanguineitas; conjugum enim sanguis non confunditur, nec reciprocatur; sed cum sanguis unius tangat sanguinem alterius, et sanguis unius accedat ad fines sanguinis alterius ad efformandum corpus quod de utroque participat, dicta et vice versa : Proinde non filius patris et matris mulieris, sed gener; nec illi pater et mater, sed socer et socrus; non frater fratri et sorori mulieris, sed levir; non pater filiis, sed vitricus; illi privigni.

Cum vero fundamentum affinitatis sit in consum-

matione matrimonii, ob quam conjuges fiant una caro, fit ut hæc autem una caro possit considerari etiam in copula illicita (nam qui adhæret meretrici unum corpus cum illa efficitur); si non pari, saltem simili modo, visum est cognoscentem contrahere quamdam propinquitatem cum consanguineis mulieris cognitæ, et vice versa.

Quamvis ergo ex hoc concubitu, nec uxoris nec meriti nomen, nec soceri, nec nurus, nec generi, nec socri, nec leviris, nec gloris ac consequentur, nec adsit amor conjugalis nec conjugium, tamen honestati repugnare videtur, ut qui per copulæ perfectionem unum factus sit cum filia, inde matrimonium contrahat cum matre, ita aperto aditu confidentiæ maritalis inter eos inter quos, posito facto verecundia quædam naturalis illi deberet obesse. At certo isthæc propinquitas, ex interpretatione potius juris quam ex se orta, non poterat propinquitati veræ affinitatis omnino æquiparari.

Unde affinitas dici potest *propinquitas personarum ex perfecta copula procedens, quæque contrahitur inter cognoscentem et cognitæ consanguineos, et vicissim*. Ergo :

1° Vir et fœmina non sunt affines, sed principium et quasi stipes a quo affinitatis gradus numerantur.

2° Contrahitur ab uno cum alterius consanguineis.

3° Quo gradu sunt alterius consanguinei, sunt alterius affines.

4° Inter affines et affines inter quos nulla copula, nulla affinitas.

5° Ubi copula et quidem perfecta non intercedit, nec affinitas.

Olim multum protendebatur prohibitio nuptiarum

causa affinitatis : cum enim ii omnes haberentur affines viro qui essent consanguinei uxoris et vicissim, et quidem eodem gradu ac in cognatione naturali : ita ut non licuisset viro contrahere ob affinitatem cum iis cum quibus non licuisset uxori ob consanguinitatem, et vice versa.

Quin imo latius etiam protensa est notio affinitatis in ordine ad prohibendum et interdicendum matrimonium. Nam varia genera affinitatum recepta sunt : 1° Conjugis respectu ad omnes consanguineos alterius ; 2° secundi mariti cum omnibus consanguineis primi ; 3° secunda uxor secundi mariti cum omnibus consanguineis primi. Nam secunda uxor erat una caro cum secundo marito qui erat una caro cum vidua, quæ fuerat una caro cum primo conjuge.

Adde etiam receptum fuisse ut non tantum uxor fieret affinis consanguineis viri, et vicissim, sed et consanguinei unius et consanguinei alterius conjugis fierent affines inter se.

Concilium vero Lateranense quartum, omnes secundi generis affinitates inductas, de medio sustulit, ita ut nec pareret affinitas affinitatem, nec promanaret inter consanguineos viri et consanguineos uxoris, sola relicta quæ inter virum et consanguineos uxoris, vel vice versa intercederet, eaque usque ad *quartum gradum*, id est usque ad eos qui essent alterius partis consanguinei in 4° gradu.

Hoc jure hodie utimur.

Quoad vero affinitatem ex copula illicita ortam, per concilium Trident. sess. XXIV, c. IV, de Ref., restricta est hæc affinitatis species ad *secundum gradum inclusive*, ita ut ex declaratione Pii V (constit. *ad Romanum*) nullum hodie impedimentum remaneat

quominus in altioribus gradibus licite et valida contrahi possit.

3°. *De Vinculo honestatis publicæ.*

XXXIV. Tertia species proximitatis oritur ex ipso contractu matrimoniali, independenter et præscindendo a corporum commixtione, et dicitur *publica honestas*, seu justitia publicæ honestatis. Nam licet conjuges, ante matrimonii consummationem non sint duo in carne una, stricto sensu, tamen illorum contractus ad hoc ordinatus est, et ipsa societas indissolubilis inter conjuges inita facit ut tanquam unum considerentur, et per consequens ab inito conjugio et ante consummationem, unus conjux quasi affinitatis specimen contrahat cum alterius consanguineis; unde et nomina soceri, et socrus, generi et nurus, leviri et gloris, vitrici et novercæ, privigni et privignæ, ex tunc solent adhiberi. Hæc propinquitas non potuit vocari affinitas, sed publica honestas vocata est.

Est et alia species quæ oritur ex sponsalibus validis. Licet enim sponsalia matrimonium non sint, et propterea non possint æquiparari matrimonio nec illi quod adhuc non consummatum est, verumtamen sponsa est quasi uxor, sponsus quasi maritus, ita et consanguinei unius partis quamdam propinquitatem contrahere videntur cum altera parte, licet adhuc celebratio matrimonii inita non sit.

Hæc propinquitas admodum similis est illi quam publicam honestatem diximus, et propterea sub nomine publicæ honestatis venit. Verum non secus ac affinitas : licet ex illicita copula orta, sit similis affinitati ex copula conjugali proindeque illam imitetur, non potest tamen illi æquiparari, ita in re nostra.

Quapropter concilium Tridentinum retinuit impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio rato usque ad *quartum gradum inclusive;* quoad sponsalia, restrinxit ad *primum gradum*. Quoad matrimonium ratum retinuit, aut non immutavit jus vetus, quod tale impedimentum provexisset, dummodo matrimonium non sit invalidum ex defectu consensus. Quoad sponsalia voluit ut si quacumque de causa essent invalida, hoc impedimentum non producerent. S. XXIV, c. III, de Ref.

B. De Disparitate cultus

XXXV. Cultus, seu religionis disparitas potest sub duplici respectu considerari in ordine ad matrimonium : videlicet 1° in ordine ad matrimonium contrahendum, 2° in ordine ad matrimonium contractum. Sub prima investigatione, quæri potest an ii qui religione sunt dispares, inhabiles etiam sint ad contrahendum inter se ; in alia inquisitione dubitari potest an mutatio religionis post contractum matrimonium sit ratio sufficiens ad illud vinculum solvendum.

Utraque investigatio, seu dubitatio ex eo oritur quod diversitas religionis videtur opposita illi unioni animorum quæ in conjugio desideratur, et periculum perversionis constituere. Sed altera investigatio pertinet ad eam tractationis partem in qua quærimus de disciplina Ecclesiæ in ordine ad *matrimonium contractum*. Restat ergo hic agi de diversitate religionis, tanquam obstaculum et impedimentum sit ad matrimonium contrahendum. Relicta ergo illa investigatione ad sequiorem partem, de qua consuli debet Bened. XIV. Constit. *Apostolici ministerii* 17 octob. 1747, ad hanc pergimus.

Itaque si consulimus jus naturale, nullam invenimus absolutam repugnantiam concipiendi nuptias cum religionis diversitate, cum necesse non sit ad individuam vitæ conjugalis consuetudinem, communicare etiam in divinis. Sed reperimus maximam convenientiam in eo quod vir et uxor ejusdem religionis sint; ne diversitas religionis sit fomes discordiæ domesticæ, sit periculum subversionis alterius conjugis, et filiorum institutio periclitetur.

Quare videmus jure divino positivo nuptias fidelium cum infidelibus improbari. Et quidem ad vetus testamentum quod attinet, cum tanta esset in populo Judæo proclivitas ad idololatriam, et universum jus mosaïcum tenderet ad separandum populum hebræum a consortio gentium, videmus expresse has nuptias interdici : Deuter. 7. Exod. 34, ita ut Sotus arbitratus sit nuptias inter Hebræos et alienigenas irritas fuisse. Sed cum illa lex nec haberet clausulam irritantem, nec directo lata esset in substantiam matrimonii, verior sententia tenet non fuisse irritantem.

Adde prohibitionem illam nec generalem fuisse, sed tantum prohibuisse connubia Hebræorum cum septem nationibus infidelium qui habitabant in terra Chanaan, ut post sanctum Thomam animadvertit Bened. XIV, Constit. *Singulari nobis* 9 febr. 1749. Unde non desunt exempla nuptiarum in Veteri Testamento cum alienigenis, quæ vel improbe contracta, ut vera connubia recognita sunt, vel etiam cessante periculo et ratione super quam fundata erat lex prohibens, a sanctissimis etiam personis contracta sunt, nec improbata, ut inter cætera matrimonium Estheris cum Assuero.

Ad Novum vero Testamentum quod spectat, non

videmus jus divinum christianum expresse et specialiter prohibens connubia fidelium cum gentibus, cum populus christianus non debebat esse peculiaris societas, sicut judaïca, sed catholica, et inter gentes diffundendum esset evangelium; sed tamen monet juris naturalis prohibitionem, quæ vetat hæc connubia sicut alias societates, amicitias, necessitudines contrahere cum iis qui falsæ religionis sunt, ad evitanda pericula, et occasiones peccandi.

Quare Paulus, II ad Cor., 6., admonebat fideles ne vellent jugum ducere cum infidelibus, et ortis inde hæresibus, cum esset eadem blasphemiæ ratio, et idem periculum religionis, si fideles cum hæreticis contraxissent. Videmus Ecclesiæ Patres constantissime connubia fidelium catholicorum cum infidelibus et hæreticis improbasse.

Non inde tamen consequens est connubia ab Ecclesia velut irrita habita fuisse; sed hæ leges, pro varietate periculi, habita ratione temporum, locorum, personarum, modò rigidiores fuerunt, modo indulgentiores; et aliquando nuptiæ sic contractæ tanquam irritæ, aliquando tantum illicitæ habitæ sunt.

In eo non desunt exempla piissimarum fœminarum quæ sine criminis nota ab infidelibus nuptæ sunt : sic Monica Augustini mater nupsit Patricio viro ethnico, Clotildis Clodovæo, quem ad Christi fidem convertit, etc. Cum in casu particulari periculum cessaret, imo spes affulgeret conversionis infidèlium, qua de causa nec Paulus voluit statim dissolvi connubia infidelium, si unus ex ipsis ad fidem convertatur, et concedi solent dispensationes pro contrahendis matrimoniis cum hæreticis (quæ mixta matrimonia vocantur), quod potissimum accidit iis in locis ubi pro-

testantes cum catholicis commixti vivunt, nec conjux aversum habet animum a catholica religione, et legibus provisum sit, ne alicui causa religionis injuria inferatur, et catholicæ æducationi nasciturae sobolis provideatur.

Tandem potius consuetudine quam jure scripto obtinuit, ut solum matrimonia fidelium cum non baptizatis tanquam irrita haberentur ; non sic matrimonia baptizatorum inter se, sed tantum illicita, si fierent a catholico cum hæretico, non petita et accepta dispensatione.

C. De Correitate in crimen (adulterii vel conjucidii) cum relatione ad novum matrimonium inter se contrahendum.

XXXVI. Jure veteri, tum romano tum ecclesiastico, interdictum videtur absolute, ne inter adulteros matrimonium posset consistere ; sed novo jure, tum ex Gratiani interpretatione (in q. 1, can. 31), tum ab Innocentio III (in cap. VI. de eo qui duxit), hujusmodi impedimentum in quantum dirimit matrimonium, restrictum est ad casus in quibus adsit, vel fides data inter adulteros de futuro matrimonio, vel ab adulteris, vivente conjuge innocente, attentatum sit matrimonium, vel adulterio conjungantur conspiratio et machinatio unius saltem adulteri in mortem conjugis innocentis.

Hic nota adulterium 1° debere esset *verum*, non putativum (videlicet sit validum matrimonium, quo ligatus est alter ex adulteris ; cap. II. de eo quid); 2° debere esse *formale utrinque*, videlicet cum mutua scientia matrimonii quo alteruter ex adulteris obligatus est (c. I, 7.) ; 3° debere esse *externum* et consummatum (c. IV, 5. eod. tit.), et fidem datam matrimonii de futuro, vel attentatum matrimonii de præsenti.

Confirma hujusmodi declarationes, ex eo quod versamur in jure positivo humano, quod non debemus extendere ultra quam definitum est, præsertim cum agatur de jure pœnali quod supponit delictum et crimen formale, et de impedimentis dirimentibus, quæ ex generali theoria supposita sunt strictæ interpretationis, nec facile præsumuntur.

Præterea et crimen conjucidii seorsim ab adulterio spectatum, est impedimentum dirimens inter correos vel complices in ordine ad matrimonium, dummodo mors fuerit secuta (c. I. de Conv. infidel.).

Utrum autem requiratur quod homicidium illatum fuerit ad finem contrahendi matrimonium inter complices? Ex stricta interpretatione hujus capitis non elucet, vel legatur prouti refertur in collectione B. Raymundi, vel multo minus si legatur in suo textu genuino apud Gonzalez; sed ex sententia potius capitis hujus, et ex præsumptione fundata super humanum agendi morem, solent auctores hunc finem et hunc animum requirere, prouti requirunt in casu adulteræ vel adulteri qui machinatus fuerit mortem conjugis innocentis, de quo supra diximus.

Certum autem puto quod hujusmodi delictum conjucidii in quantum per se sufficit ad impediendum inter correos matrimonium, debeat esse vere crimen, id est *injuste* et *malitiose* admissum, utriusque notum sua moralitate *non tantam generica*, in quantum est occisio hominis, sed et *specifica*, in quantum est occisio conjugis, et mutua machinatione et conspiratione aut per se aut per alios *consummatum*. Hæc resultant tum ex dicto capite de convers. infid., tum ex eo quod sermo sit de jure positivo pœnali et irritanti, proinde strictissimæ interpretationis.

Ratio igitur hujus impedimenti criminis, præ jure quod viget, non videtur collocanda in principio generali, verbi gratia, ut servetur matrimonii fides, ut privetur bono matrimonii, qui contra fidem matrimonii peccavit, ne eludatur lex de monogamia et indissolubilitate conjugii ut tueatur vita conjugis, etc. : secus vel simplex adulterium, vel simplex fides de futuro matrimonio, vel attentatum de præsenti matrimonium, vel simplex occisio conjugis pareret hujusmodi impedimentum.

Sed potius legis vel impedimenti hujus ratio *positiva specifica*, quæ assignat causam quare hoc jus ita coercitum sit, et præter prædictos casus non extendatur ad alios, qui pari modo officiant sanctitati matrimonii, fidei conjugali, incoluminati conjugum, indissolubilitati et monogamiæ matrimonii, quantum sapio, assignari non potest, sed solum tradi *negative;* videlicet quod in jure odioso, pœnali, ad irritandum contractum, placuit Ecclesiæ magis non indulgere.

Nam secus, quare dicimus induci hoc impedimentum per adulterium cum fide, vel attentatu matrimonii, etc., et non induci per conjucidium ab una tantum parte patratum sine conspiratione alterius, sed data fide de futuro matrimonio?

Hoc unice fortasse, quod lex nolit pati esse consortes et socios in matrimonio, qui socii et consortes fuerint in prodendis juribus legitimi matrimonii cum animo habendi legitimi connubii bonum inter se, seu quos tenet conscientia criminis admissi in matrimonium ad finem contrahendi matrimonium, quos mala conscientia criminis mutuo commissi in prodendis juribus conjugalibus ad finem contrahendi matrimonium indignos facit et quodammodo incapaces sancta,

perpetua dilectione et societate conjugali. Uterque cum conjux videret in suo conjuge proditorem matrimonii, et perpetuus criminis remorsus, et perpetua diffidentia ab amore et charitate alienaret.

Hæc ratio verificatur amussim in adulterio cum fide vel attentatu matrimonii, in conjucidio mutua conspiratione consummato cum animo contrahendi matrimonium inter se, in adulterio cum machinatione unius in mortem alterius conjugis, ubi hæc ipsa machinatio, licet ex parte unius, dat præsumptionem animi alterius ad contrahendum matrimonium cum adultera.

In aliis casibus hæc societas in violandis juribus honesti conjugii cum animo et fine contrahendi conjugium desideratur. Sed semper recurrendum est *ad odium* quod continet hæc lex ut explicetur quare adulterium debeat esse *consummatum*, uti videtur; quare conjucidium debeat esse *cum effectu secuto*, et non sufficiat mutua machinatio in hunc reatum, licet occisio non fuerit secuta. Nam in his etiam casibus reperiretur violatio jurium conjugalium mutuo consensu facta intuitu matrimonii.

Audivi quemdam asserentem rationem hujus impedimenti esse quod opponitur sanctitati sacramenti matrimonii, quod matrimonia inchoentur actu peccaminoso. Sed hæc ratio nimis vaga est; tunc enim irrita cederent matrimonia omnia quæ initiata sunt actibus illicitis, ex gr., copula carnali sub fide matrimonii.

Si infideles non tenentur hoc impedimento, id provenit ex eo quod non sunt participes juris ecclesiastici.

Quæst. 3ª. ***De impedimentis dirimentibus quæ directe inhabilitent quemdam contrahendi modum, non autem personas contrahentium.***

Modus contrahendi matrimonium, contractus validitatem inficit ex triplici capite : 1° Ex defectu consensus contrahentium; 2° Ex defectu libertatis eorumdem; 3° Ex defectu formæ et ritus externi essentialiter ab Ecclesia præscripti.

A. De defectu consensus.

XXXVII. Hic sermo non est de impotentia consentiendi, de qua locuti sumus; sed supposita potentia consentiendi, quærimus de facto consensus. Porro consensus non adest, quoties modus contrahendi non exprimat interiorem et verum animi consensum in matrimonium, qui non haberetur, si quis jocando, ludendo, aut æquivocis verbis fallendo, aut errando, consensum expressisset, vel consensum coarctasset nonnullis conditionibus quæ cum consensu in matrimonium conciliari non possunt.

Itaque, si in omnibus contractibus essentialis est contrahentium consensus, ut valeant, et nascatur obligatio; id potissimum obtinet quoad matrimonium, quod contractus est consensualis qui totus ex consensu substantiam capit; nuptias enim non concubitus, sed consensus facit, consensus autem ad matrimonium requisitus dici potest :

1° Exterior voluntatis manifestatio per certa et determinata indicia;

2° Ab interna animi deliberatione serio prolata;

3° Mutuo facta;

4° A mare et famina de jure idoneis, vel per se vel per idoneos procuratores elicita;

5° De Matrimonio;

6° Illo actu de præsenti;

7° Inter se contrahendo.

Ubi hæc omnia requisita reperiantur, nil aliud desideratur pro validitate consensus in matrimonium; ubi unum ex illis desit, nullus est contractus, et proinde modus ille contrahendi, qui in aliquod ex iis impingit ex hujusmodi defectu contractum vitiat, licet aliunde staret spectata contrahentium idoneitate per se et seorsim a modo et actu quo contrahunt.

1° Ergo requiritur exterior voluntatis consentientis manifestatio, quod est proprium omnium contractuum. Nam quousque consensus mere internus est, non possunt plures in idem convenire. Additur per certa indicia et determinata, ut excludantur indicia æquivoca, ut meræ significationes amoris, etc. (Cap. II, de Præsumpt.). Parum autem attinet an hæc indicia fuerint signa vel verba (cap. XXIII-XXV, de Spons. et matrim.), dummodo clara et perspicua, et quæ recte intelligentibus aliam interpretationem ex communi usu non recipiant (cap. VII, ibid.).

2° Requiritur quod sit ab interna animi deliberatione serio prolata, videlicet quod consensus sit profectus ab animo, a deliberatione interna voluntatis, et externum consensum interior comitetur assensus, omni fictione et joco remoto.

Utrum autem adfuerit hic consensus internus, ex externis indiciis deprehenditur, et ex eo quod exterius apparet, et ex eo quod communiter fit. Si ergo consensus etiam exterius irrisorius, fictus, jocosus apparet, nulla dubitatio est quod internus etiam abfuerit, et sicut animus longe fuit a contrahenda obligatione, ita irritus cadit contractus.

Quid autem, si quis alleget, quod dum exterius per certa indicia serio consentiebat, non consentiebat interius?

Dicunt plures canonistæ quod in foro externo standum sit pro matrimonio, licet in foro interno nata non sit obligatio, nec valeat matrimonium, nisi iterum consentiatur.

Ratio hujus sententiæ est quod verus consensus non adest ubi signis quidem exterius manifestatur, sed interius deest, vel adest dissensus, et confirmatur, cap. XXVI, de Spons.

Sed aliis placet sententia quæ dicit non requiri voluntatem in contrahente subeundi obligationem conjugii, sed solam voluntatem deliberatam emittendi illum consensum exteriorem certis indiciis et serio manifestatum, unde per se oritur obligatio connubii. Non enim est interior animi consensus qui inducit obligationem, sed exterior voluntatis manifestatio deliberata, et serio, et certis indiciis emissa et acceptata ubi consistit contractus, et unde oritur obligatio, prouti fit in cæteris contractibus.

Jam vero hæc deliberata voluntas consentiendi exterius, dum quis consentit exterius necessario adesse debet. Inde volunt tollere, hac in re, omnem distinctionem fori interni et externi, et ortam vel non obligationem in foro interno, quando orta sit vel non orta in foro externo, cum tota contractus natura sit *in conventione* externa deliberate ab animo emissa.

Ad caput XXVI allatum, respondent ibi nec exteriorem consensum adfuisse.

3° Requiritur ut mutuo prolatus sit iste consensus, videlicet quod debeat uterque dare suum consensum, et alterius consensum recipere; in eo enim contractus

natura est, ut debeant contrahentes in idem placitum convenire. Quod præsertim in matrimonio servatur, ubi cum habeatur contractus bilateralis, societas, mutuæ sunt et reciprocæ præstationes.

4° A mare et fœmina (personis singularibus, determinatis, diversi sexus); hoc enim exigit matrimonii natura; de jure idoneis, quæ videlicet non sint incapaces contrahendi matrimonium, de quibus jam diximus; per se vel per deputatos procuratores elicita. Non possunt enim alii pro ipsis consentire, iis contradicentibus, invitis, ignorantibus, sed debent ipsi consentire vel per se, vel per procuratores de mandato; et quidem hujusmodi procuratores summa cautela admittuntur in jure, quod requirit :

1° In iis mandatum speciale, non solum in ordine ad *conjugium*, sed in ordine *ad personam* cum qua contrahendum;

2° Procuratorem non posse alium substituere et subdelegare, nisi exprimatur in mandato;

3° Dato etiam mandato posse mandantem illud revocare; quo facto, nullum est matrimonium a mandatario contractum pro suo mandante dissentiente, licet revocationis mandati nullam notitiam habuerit.

4° Si interveniat mors mandantis, nondum contracto matrimonio per procuratorem, matrimonium licet die statuto contractum, est nullum, nec potest retrahi ad diem mandati; tempore enim celebrationis matrimonii, tum in hac, tum in antecedenti hypothesi, mutuus consensus non habetur.

5° Procuratio potius viris quam fœminis conceditur, ne decipiantur (cap. IV, V de ritu nuptiarum); solum fœminis conceditur extra ordinem et in casu speciali.

Ergo hujusmodi matrimonia facta per procura-

torem odium juris aliquo modo habere videntur, et summa cautela admitti (Berardi, Dis. 5ª).

5° De matrimonio. Hic enim est terminus, hoc objectum contractus : videlicet maris et fœminæ societas conjugalis, individuæ vitæ conjunctionem retinens. Si igitur consensus non referatur a contrahentibus ad hanc societatem, seu ad essentiam et substantiam hujus societatis, sed ad aliam essentialiter distinctam, non habetur consensus in matrimonium, quod est materia hujus contractus.

6° De præsenti; videlicet hic et nunc contrahendo, ut differat a consensu sponsalium, qui refertur ad matrimonium, sed contrahendum in futurum.

XXXVIII. Ad hoc 5um et 6um requisitum, referri videtur theoria de *conditionibus matrimonio oppositis*. Quæritur igitur an officiat consensui in his duobus capitibus spectato, adjicere conditiones contractui matrimonii?

Conditiones aliæ *propriæ* sunt, aliæ *impropriæ*. Primæ rem suspendunt, tanquam ab incerto eventu, quia referuntur ad tempus futurum. Aliæ non sunt suspensivæ, quia referuntur ad tempus præteritum aut præsens, et nil officiunt, quia statim valent, aut non valent contractus.

Insuper conditiones, aliæ sunt *possibiles*, aliæ *impossibiles*. Hæ vero, aut physice aut moraliter impossibiles, videlicet inhonestæ et turpes.

Si conditio fuerit impossibilis vel natura, vel moribus, distinguit Gregorius IX (cap. ult. de Cond. app.), an fuerit contra substantiam conjugii an non : si fuerit contra substantiam connubii, vitiat matrimonium, secus ipsa vitiatur *seu habetur pro non adjecta*, et non vitiat, sed subsistit matrimonium.

Dicuntur conditiones contra substantiam matrimonii, quæ apponuntur triplici bono connubii, videlicet *bono prolis*, v. g. : Si partum abigas, si prolem occidas, si prolem evites, si doceas illam falsam religionem, etc.

Nota hic valde diversam esse conditionem honestam de servanda virginitate, vel castitate, quæ non opponitur bono prolis, nisi remote et negative. (Ferraris Vox : votum.) Concipi enim potest connubium in specie et in concreto sine relatione ad commercium carnale, sed non potest concipi connubium directum ad commercium carnale pro solo fine libidinis, illud positive deordinando a prolis susceptione ad quam natura directum est, vel directum ad malum sobolis, siquidem nascatur.)

2° Vel opponitur *bono fidei*, ex. g. si te adulterandam quæstu tradas;

3° Vel *bono sacramenti*, v. g. quousque aliam inveniam quæ mihi magis placeat, etc.

Hæ conditiones vitiant contractum; tollunt enim consensum ad matrimonium, et porrigunt illum consensum ad aliam illicitatam societatem, quæ matrimonium non est.

In cæteris conditionibus physice vel moraliter impossibilibus, obtinet jus oppositum, videlicet non vitiant, sed ipsæ vitiantur, et habentur tanquam non adjectæ. Favorabilis enim est causa nuptiarum, uti dicitur *prædicto capite ultimo de conditionibus;* ideoque visum est in eo non sequi jus pro cæteris contractibus lege romana in hac re statutum pro ultimis voluntatibus :

Videlicet, conditiones facto aut jure impossibiles contractibus oppositæ illos vitiabant; aperte enim ex

eo intelligebatur contrahentes jocari voluisse, non contrahere, velut si dixissent: Promitto tibi pecuniam sī cœlum tetigeris, si mare ebiberis... vel (jure sic præsumente) si Titium occides. Jus enim non præsumit delinquendi voluntatem, et etiamsi mala hæc voluntas fuerit, non vult ansam præbere delicti, contractum sustinendo sub hujusmodi conditione.

Simile jus quod obtinet in cæteris contractibus, juxta Berardi, protrahendum est ad sponsalia. Diss. 2ª, cap. I, n. 32.

Sed diversum jus obtinebat in ultimis voluntatibus; non enim jocis et lusibus indulgere præsumitur qui cogitatione mortis, testamentum condidit, aut pravis animi consiliis indulgere, quibus etiamsi indulsisset, non usque ad mortem pervicaciter indulsisse credendum est, et quidem eo mortis tempore quo vires habere incipit testamentum.

Præsumebat igitur lex testatores cogitatione mortalitatis adeo aliquando turbari, ut si quæ ab ipsis conditiones quomodocumque impossibiles adjiciantur, potius ex animi perturbatione quam deliberato consilio adjectæ videantur; ideoque iis non obstantibus, sustinebat hæredum institutiones, legata, fideicommissa.

Similiter et conditiones facto vel jure impossibiles, matrimonio appositæ, existimantur quasi excidissent sponsis alio distractis a gravissima rei gerendæ cogitatione.

Quid autem si contra hujusmodi præsumptionem asserant contrahentes stetisse facti veritatem, id est, se sub conditione impossibili matrimonium contraxisse, quia nullum habebant animum contrahendi, sed volebant sic illudere et jocari?

Tum distinguendum utrum hæc jocandi voluntas ab ipso facto externo deprehendatur ex aliis adjunctis, an vero nihil aliud sit in facto externo oppositum consensui præter dictam conditionem.

In primo casu matrimonium non tenet, quia deest seria manifestatio consensus, ab interna animi deliberatione profecta, ut in 2° requisito notatur. Si vero in facto externo nihil aliud deprehendatur consensui oppositum, nisi hæc conditio, standum est pro matrimonio, vel in foro externo, vel etiam in foro interno prouti supra in 2° requisito pro variis sententiis adnotabatur.

Quæri insuper posset utrum hæc theoria quam dedimus de conditionibus impossibilibus *propriis*, locum habeat etiam in conditionibus impossibilibus *impropriis?* Respondeo nullam, hac in re, esse posse exceptionem quoad conditiones impossibiles contra substantiam matrimonii, quæ referuntur ad contractum contrahendum et semper sunt propriæ.

Quod vero pertinet ad reliquas conditiones impossibiles, nullam video fieri distinctionem in dicto *capite ultimo de conditionibus.*

Tota igitur quæstio in hoc versaretur, videlicet, an sequi deberet interpretatio *restrictiva*, intelligendo nomine conditionum, illas quæ vere sunt tales, quæque res suspendunt tanquam ab incerto eventu; vel *extensivæ*, intelligendo nomine conditionum etiam quæ improprie tales dicuntur, quæque non referuntur ad eventum futurum.

Videretur ex una parte obtinere interpretationem restrictivam : 1° Ex contextu capitis, ubi allegantur solum conditiones propriæ contra substantiam matrimonii; 2° quia illud caput, hac in parte, esse correc-

tivum juris communis, seu constituit aliquid contra jus commune in cæteris contractibus servandum.

Ex alia parte videretur quod eadem præsumptio juris, vi cujus conditiones impossibiles, favore matrimonii habentur pro non adjectæ, verificatur in omnibus conditionibus tum propriis, tum impropriis, *saltem* facto impossibilibus. Quæ differentia enim esset inter conditionem : si digito cœlum tangas, et aliam : si digito cœlum tetigeris, propter quam, stante favore matrimonii, præsumendum sit primam mente excidisse, non aliam? Nonne pari modo præsumendum esset contrahentes non voluisse jocari?

Dixi, *saltem* in conditionibus facto impossibilibus sive propriis sive impropriis eamdem verificari rationem juris. Nam in conditionibus jure impossibilibus quæ repugnant bonis moribus, præsumptio juris quæ viget si illæ fuerint propriæ, non videtur verificari si fuerint impropriæ et respiciant factum præsens, vel præteritum, velut bonis moribus contrarium realiter tamen existens.

Cæterum auctores communiter, hac in re, non distinguunt quoad valorem matrimonii, conditiones simpliciter impossibiles aut physice aut moraliter, aut proprias aut improprias, et dicunt in genere haberi pro non adjectis. Quidam solum dicunt, in conditionibus impropriis, matrimonium statim valere, aut nullum esse, prouti res in conditione posita extare nunc deprehenditur, nisi fuerit conditio *natura* impossibilis, quæ sive de futuro, sive de præsenti sit, non attenditur, et matrimonium valet.

Si vero conditiones fuerint possibiles, aut propriæ sunt, aut impropriæ : si fuerint impropriæ, non officiunt consensui de præsenti, sed in causa sunt, quare ma-

trimonium statim subsistat, aut nullum sit, secundum quod vera fuerit aut falsa conditio.

Si vero conditiones fuerint propriæ et suspensivæ, communiter admittitur, quia si purificatæ fuerint, illarum effectus, retrotrahitur ad tempus initi contractus, et ita conjunctis temporibus, accidit ut matrimonium ab initio valeat, aut nullum sit. Adsunt nonnulla responsa Pii V vel Clementis VIII in casibus peculiaribus, quæ hanc opinionem confirmant, qui videlicet dixerunt in casu peculiari necesse non fuisse renovare consensum coram parocho.

Seu aliis placet conditiones suspensivas non posse componi cum matrimonio de præsenti, ita postulante conjugii natura, quæ conjugium in suspenso esse non sinit; cujus rei causa, singularis disciplina recepta est, ut contractus sponsalium præcederet, quoties contractum conjugii in aliud tempus, seu in certum eventum differri expediret.

Non tamen inde censuit hujusmodi conditiones pro non adjectis haberi, sed tantum actum non suspendere et resolvi *in modum;* unde accurate teneantur contrahentes, quoad ipsi poterunt, ut illæ impleantur. Hujus sententiæ est Berardi qui affert exemplum matrimonii contracti sub conditione : *Si centum in dotem dederis.*

Uno verbo aut talis mens deprehenditur qua contrahentes voluerint per eam conditionem actum suspendere vel non. Si voluerint actum suspendere, licet verba protulerint de præsenti, consensus non est de præsenti, et matrimonium illud resolvitur in sponsalia (cap. v de Conditionibus). Si vero mens fuerit actum non suspendendi, conditio, ex iis quæ diximus, resolvitur *in modum.*

XXXIX. *Ultima* conditio. Requiritur ut sit de matrimonio inter se contrahendo, videlicet quod personæ quæ per se, aut per suum mandatarium consentiunt, non sint tantum quæ consentiunt, sed et in quas consentitur.

Quid ergo si ad aliam personam diversam ab ea quæ consentit, consensus nuptiarum referatur? Si quis per errorem contrahat cum Lia, putans esse Rachelem, contrahit cum inope putans esse divitem, contrahit cum ancilla, putans esse liberam et dominam, etc. Quid si errando contraxit?

Videndum est quodnam fuerit objectum erroris; siquidem error cadere potest vel in nomina, vel in personam, vel in qualitatem personæ cum qua contrahimus. Si cadat in *personam*, vitiat consensum; nullum est matrimonium : cadit enim in substantiam contractus; nam contrahentes in matrimonio sunt ad invicem principium et terminus sui consensus, sunt simul personæ determinatæ et singulares in quas cadit mutuus consensus, quæ se invicem promittunt, et repromittunt; adeo ut, si ad aliam personam referatur consensus diversam ab ea quæ consentit de facto, et acceptat alterius consensum, contractus matrimonii concipi nullo modo potest.

Non enim matrimonium fit cum illa quæ præsens consentit, quia ad illam alterius consensus non refertur; non cum illa ad quam refertur alterius consensus, quia hunc non acceptat, nec de facto reconsentit et repromittit. In emptione ubi objectum contractus est res, dummodo *de Corpore rei* constet, in quod cadit substantia contractus, parum consideratur persona contrahentium. Secus in stipulationibus; liberalitas enim concipi non potest nisi in

determinatam personam, sicut et amor in matrimonio. Non possumus consentire in id quod ignoramus, nec potest amor ferri in personam ignotam vel indeterminatam.

Si error cadat in *nomen* personæ, non vitiat contractum, nec tollit consensum, quia dum constat de *corpore rei*, nomen est quid indifferens in ordine ad consensum, et simpliciter assumptum ad indicandam personam.

Si vero cadit in *qualitatem*, generaliter loquendo non vitiat assensum, quia sine ea qualitate concipitur matrimonium, et consensus matrimonialis de præsenti in determinatam personam.

Dixi generaliter loquendo, quia aliquando error in qualitate personæ potest vitiare consensum, quod fit 1° si qualitas ita determinat personam, et singulariter distinguit, ut error qualitatis refundatur in errorem personæ, quia qualitas individuat personam; ex. gr. regina, primogenita, unigenita principis. 2° Si fuerit in pactum, et in conditionem deducta quod accidit : 1° Præsumptione juris, *in conditione servili;* hæc enim qualitas solet communiter avertere homines liberos a contrahendo conjugio, et illorum consensus præsumitur conditionatus : nisi fueris serva, et ancilla, etc., ob incommoda quæ ex conditione servili derivant matrimonio. De conjugio servorum qualis fuerit Ecclesiæ disciplina, inter alios auctores potes consulere Berardi Diss. IV, cap. III, n. 76, et cap. VII, 115. Verum hodie, cessata servitute servili, cessat etiam hoc impedimentum.

2° Electione contrahentium, siquidem aliquam specialem qualitatem sic adamaverint, vel ab aliqua determinata qualitate sic abhorruerint, ut illius existen-

tiam vel non existentiam in pactum deduxerint, et sub illa conditione alligaverint suum consensum. Qua de re, vide quæ supra diximus de conditionibus.

Utrum autem hoc fieri debeat expresse vel tacite, vel interne, vel externe etiam, aut debeat ex indiciis externis deprehendi etc., pendet a quæstione in 2° requisito indicata.

B. De defectu libertatis seu de impedimentis vis et raptus.

XL. 1° *Vis*. Inutile profecto esset expendere an valerent matrimonia sub absolutæ violentiæ influxu coacta, seu coactione physica, quæ corpus quidem afficit, voluntatem nullo modo. Ubi enim nulla voluntas est, nullus esse debet contractus, cum desit elementum præcipuum, id est, placitum : namque, qui sub tali vi constitutus agit, patitur potius, non agit. Si ergo vi aliquis inclinaret caput vel protenderet manum ad uxorem ad consensum significandum, dum ipse reluctaret, ipse certe non contraheret, quia non consentit ullo modo.

At non ita si sermo sit de quadam vi conditionata, quæ potius dicitur moralis, quæque voluntatem afficit et causat consensum. Talis est timor cujus natura est, ut licet qui timore agit, sponte non agat, sed invite ; tamen libere agit, et libere inter plura unum eligit, quod sibi quidem placeret minus, sed utilius reputat ad pejus malum evitandum. Porro in hac specie de validitate nuptiarum, disputari potest.

Et quidem si rigore juris naturalis res expenderetur, nulla difficultate viderentur nuptiæ consistere, siquidem timore non obstante, adest consensus, adest contractus. At cum libera debeant esse matrimonia, et in matrimoniis coactis soleant infelices exitus provi-

deri, jura nostra curarunt aliquo modo hisce contractibus providere.

Non poterant certe initam societatem rescindere in favorem illius qui injuriam passus esset. Nam si hoc jus romanum admisit quoad contractus qui de sua natura non essent perpetui, non poterat hoc Ecclesia admittere relative ad matrimonium, quod de sua natura perpetuum est. Ergo non potuit huic malo providere nisi irritando contractum ab initio; hoc autem summa prudentia effecit, distinguendo inter timorem et timorem :

1° Timor *levis* non irritat, sive quia facile contemni potest; et si admitteretur, innumera matrimonia vel dubia, vel nulla, vel multis difficultatibus obnoxia essent.

2° Ipsum timorem *gravem* distinxit, an ortus esset ex *causa extrinseca*, vel *intrinseca*. Ab extrinseco dici consuevit qui incutitur ab hominum vi aut minis; ab intrinseco qui potius ex conscientiæ stimulis et motivo salutis æternæ quam ex hominum crudelitate, severitate et hostilitate concipitur.

Timor ab intrinseco non dirimit matrimonium, siquidem justa agendi ratio est, et minus liberæ electioni oppositus, et naturali quodam hominum instinctu ortus, homini connaturalis, et omnium fere cætuum comes et moderator; rationabiliter, moraliter hoc motivo determinatur. Matrimonium hujus timoris ratione dirimere fuisset tollere quodammodo moralitatis custodiam, stimulum virtutis, medium reparandarum injuriarum et damnorum prospiciendi bono prolis et aditum aperire nullibus quæstionibus.

Si vero timor fit ab extrinseco seu ab homine, distinguit an sit *injustus* vel *justus*. Ad justitiam duo re-

quiruntur : 1° ut sit secundum leges incussus ; videlicet ut ille cui incutitur satisfaciat suæ obligationi cui ex legis præscripto tenetur, ab eo qui habeat potestatem incutiendi, ut ex. gr. judex.

Hic timor non irritat, non secus ac ille qui ab intrinseco est. Quod si gravis, externus, injustus sit, matrimonium dirimit.

Nonnulli etiam communiter volunt ut sit incussus causa ineundi matrimonium : ex. gr. Si debitor nubat filiæ creditoris sine dote, ut carcerem redimat, cujus timor illatus est ut solvat ; si quis obsessus, expugnationis, incendii metus nuberet filiæ obsidentis? Sed alii dicunt rationem impedimenti esse in immunitione libertatis injuste illata, quæ pariter invenitur in quolibet timore gravi, injuste incusso.

Gravitas timoris æstimatur a judice, prospectis omnibus adjunctis.

Tota ratio impedimenti est pro tutando jure illius qui injuste territus est, et pro injuria vindicanda quæ illi illata est ; proinde dispensatione contra jus tertii et in bonum fraudis et injuriæ, non solvitur ; sed qui timens contraxit, potest factum matrimonium convalidare, libere et sponte ratihabendo quod factum est, 1° per copulam conjugali affectu et cum scientia nullitatis, 2° per diuturnam et spontaneam habitationem cum scientia, etc.

XLI. 2° *Raptus* dicitur : *Violenta mulieris abductio de loco in locum matrimonii contrahendi causa.*

Violenta, ut distinguatur a seductione qua mulier suasionibus, et blanditiis vel aliis modis consentiat fugere cum viro lares suos.

Abductio de loco in locum ; furtum enim mulieris est.

Matrimonii contrahendi causa, ut distinguatur a raptu mulieris ad simplicem libidinem, vel alium finem. Tunc raptus violabit libertatem personalem, nullam habebit relationem cum matrimonio.

Si vim inferens, actu contineat puellam sub metu, tunc hic raptus non differt ab impedimento metus.

Si vero consideratur velut distinctus a metu, tunc constituit impedimentum distinctum, sed varie moderatum juxta variam basim.

Jure Tridentino, basis hujus impedimenti est libertas matrimonii. Præsumit enim jus curare metum, quousque rapta sit sub raptoris potestate. Posset enim semper mulier excipere de nullitate matrimonii, et arbitrio mulieris solvi juncta matrimonia sub prætextu metus. Ergo hodie raptus impedimentum est inhabilitas contrahendi inter raptorem et raptam licet consentiat, dummodo non sit reddita loco tuto.

Quæritur utrum idem sit dicendum de raptu viri? Jus pœnale et odiosum non protrahendum est : concilium Tridentinum, de iis disposuit, quæ ordinarie non raro, contingunt.

Sed nonnulli dicunt quod eadem sit ratio libertatis matrimonii.

C. De defectu formæ et ritus externi essentialiter ab Ecclesia præscripti, seu de clandestina desponsatione [1].

XLII. « Matrimonia quæ sine parocho et testibus contrahuntur, dicuntur matrimonia clandestina : ea semper quidem in Ecclesia prohibita fuerunt, et illicita, ob multa, et gravia incommoda; non fuerint tamen ante concilium Tridentinum invalida, prout

[1] Addit ex Pirhing., l. IV, Decr., tit. II.

certa, et communis sententia habet, juxta can. Nullus 2. caus. 30. q. 5. et c. II. h. t. et Trident. sess. 24. c. I. De reformat. Hodie tamen post concil. Trident. l. c. sunt invalida, si aliter quam præsente parocho (quamvis his sacerdos non sit, modo sit alterutrius sponsi parochus), vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, ac duobus, vel tribus testibus (quales illi sint, modo advertant quid agatur) contrahant, ad plurima scilicet gravissima incommoda præcavenda, invalidente. Ecclesia matrimonia talia clandestina, non quidem per se, et directe annullando sacramentum, quod in Ecclesiæ potestate non est, sed indirecte tantum, et per accidens, annullando scilicet contractum civilem, et humanum immediate et per consequens irritum etiam faciendo sacramentum.

Quæ irritatio clandestinorum taliter acceptorum matrimoniorum adeo certa est, ut in Ecclesiis, ubi promulgatum decretum illud Tridentini fuit, etiam illi, qui decretum hoc invincibiliter ignorant, nulliter clandestine contrahant, quia lex irritans etiam ignorantes in ordine ad nullitatem actus obligare potest; uti et qui clam, aut præsente quidem majore viciniæ parte, absente tamen parocho, contrahunt, in articulo v. g. mortis, aut alia quacunque necessitate, cum deficiente forma substantiali ad valorem actus requisita, sicuti requiritur ad validum matrimonium, parochi v. g. et testium præsentia, actus subsistere non possit; quod si tamen in casu, quo in facie Ecclesiæ, coram parocho scilicet, et testibus matrimonium contractum est, ob impedimentum tamen occultum invalidum, cessante postmodum, et sublato legitime impedimento revalidetur, non est necessarium, ut coram parocho, et testibus, hæc revalidatio fiat, si de impe-

dimento tali publice non constet, cum incommoda, ob quæ clandestina matrimonia irrita facta sunt, factis in tali casu caveri possint.

An etiamnum in locis, ubi decretum concilii Tridentini non est receptum, aut promulgatum, matrimonia claudestina sint valida?

Respondetur affirmative, sive deinde locus ille, ubi Decretum hoc Tridentini promulgatum, sive receptum non est, sit catholicus, sive hæreticus, quia concilium expresse dicit, decretum hoc suum invalidans matrimonia clandestina, robur suum non habere, nisi in parochia aliqua publicatum illud fuerit, et quidem post triginta dies a die factæ primæ promulgationis; et hinc non tantum certum est, quod Christani apud Turcas v. g. captivi, aut mercatores v. g. inter infideles viventes, etc. possint valide in illis locis clam contrahere, sine præsentia parochi, et testium, etiamsi in loco domicilii Tridentinum fit receptum, sed probabile etiam est, eos etiam, qui ad terras tales, ubi Tridentinum promulgatum, aut receptum non est, animo contrahendi clandestine discedunt, valide contrahere clandestine, cum peregrini legibus illius patriæ, præsertim circa contractus, accommodare se possint (nisi peculiaris aliqua lex obstet), et qui ex patria discedunt, ubi Tridentini decretum hoc receptum non est, non possint in loco, ubi receptum Tridentinum, quoad hoc decretum est, valide clandestine contrahere, cum plerumque in materia contractum ejus loci leges, et solemnitates fervare debeant contrahentes, ubi contrahunt. Vide plura de his apud Theologos Morales.

Utrum necessarium sit ad valorem matrimonii, ut assistat proprius utriusque contrahentis parochus, et

intra propriam parochiam, et qualis præsentia parochorum, aut testium requiratur?

Ad primam quæstionem jam responsum fuit, sufficere scilicet, si alterutrius sponsi scilicet, vel sponsæ, parochus, vel ordinarius assistat, quamvis sit excommunicatus, suspensus, vel irregularis, modo actualiter non sit depositus, et quamvis titulum tantum coloratum habeat cum communi errore, etc. tum quod idem utriusque sponsi, quoad hunc actum, hujus sacramenti censeatur parochus, tum quod sacerdotis qualitas in parocho non petatur a concilio, tum quod censuræ illæ non tollant rationem parochi proprie dicti, et assistentia talis non tam sit actus jurisdictionis, quem fortasse taliter censuratus exercere non potest, sed sit actus testimonii, ex dispensatione juris ad valorem matrimonii requisitus, ad quod sufficit etiam titulus tantum coloratus cum communi errore.

Imo vagi contrahere possunt valide, et licite coram quolibet parocho, juxta probabilem sententiam; probabilius tamen est, quod coram eo parocho legitime tantum contrahant, in cujus parochia tum versantur, cum alia etiam sacramenta ab hoc petere, et percipere debeant : quicunque tamen parochus vagos tales conjungit, diligenter præstare debet, quæ ipsi a Tridentino sess. XXIV. cap. VII. De reformat. injunguntur, ut tales scilicet non conjungat, nisi diligentem prius inquisitionem de statu illorum, et habilitate fecerit, ac licentiam ob ordinario obtinuerit, ob periculum, ne tales cum impedimento dirimente nulliter contrahant.

Ad secundam quæstionem respondetur validum fore matrimonium, cui parochus alterutrius sponsi,

vel sponsæ scilicet assistat, etiamsi assistat extra propriam parochiam, aut in aliena etiam diœcesi; cum hæc assistentia, ut dictum, non sit actus jurisdictionis, saltem fori contentiosi, qui extra propriam diœcesim exerceri non possit; probabile tamen est, quod talis parochus extra propriam parochiam assistens matrimonio, si solemniter assistat sine licentia ordinarii, vel parochi loci, peccet, et puniri possit, propter scandalum, quod potest dare, involando in officium alterius.

Ad tertiam quæstionem etiam jam responsum, moralem et humanam debere esse præsentiam parochi, et testium in casu validi matrimonii, ut sciant scilicet, et advertant, quid agatur, sive casu tantum intervenerint, sive volentes, sive inviti intersint, sive proprio sensu hoc, quod agitur, advertant, sive per interpretem intelligant, ita ut non sufficiat sola physica præsentia, quæ nihil eorum, quæ aguntur, advertit, neque enim in jure censetur præsens, qui non adest more humano intelligens, vel indicans quid fiat.

Duæ potissimum *pœnæ* sunt matrimonii clandestini. Prima est, quod filii ex eo geniti sint illegitimi, quamvis bona fide, ignorantes sui matrimonii nullitatem, parentes contraxerint, licet enim in aliis casibus, ubi propter impedimentum dirimens matrimonium, invalide quidem, bona tamen fide conjugum, aut unius conjugis, suum impedimentum ignorantium, præmissis tamen denuntiationibus, contractum fuit, liberi ex tali matrimonio geniti legitimi habeantur, in favorem bonæ fidei, juxta c. Ex tenore 14. *Qui filii sint legitimi*. In casu tamen, quo clandestine contractum fuit (omissis scilicet denuntiationibus) favor hic non conceditur liberis ex eo matrimonio

genitis, cum parentes eo ipso, quod clam contrahere voluerint, videantur sibi male conscii fuisse, et non bona fide egisse, cum neglexerint ulteriorem veritatem inquirere.

Secunda pœna est, quod separandi sint a se invicem hi tales putatitii conjuges, et spe dispensationis impetrandæ careant, si in gradibus prohibitis scienter contraxerint (ita statuente Tridentino ob contemptum Ecclesiæ) et pœna etiam arbitria tam ipsi clam contrahentes, quam testes huic clandestino matrimonio (sine parocho scilicet, aut debito testium numero) assistentes puniendi sunt. Parochus vero, vel alius sacerdos ex licentia parochi, sine testibus requisitis assistens, per triennium ab officio suspendendus est, gravius etiam puniendus, si culpæ qualitas postulaverit. c. Cum inhibitio 3. § final. h. t. quam tamen triennalem suspensionem sublatam hodie per Tridentinum (quod pœnam arbitriam statuit) putat Sanchez, in casu quo sine sufficientibus testibus assistit matrimonio parochus, quæ pœna arbitraria sæpius etiam imponenda et contrahentibus, quamvis coram parocho, et testibus contrahant, si denuntiationes tamen culpabiliter omiserunt. »

2°. *De impedimentis prohibitoriis.*

XLIII. Impedimenta prohibitoria, quæ nempe mere impediunt matrimonium contrahendum, sed non irritant jam contractum, spectato jure antiquo, sex fuerunt, quorum duo jam non amplius vigent, nempe impedimentum *catechismi*, et impedimentum *criminis*. Quidam tamen volunt impedimentum catechismi non fuisse omnino sublatum per c. Trid., sed restrictum ad primum gradum. Sed ex motu proprio Pii V et ex con-

suetudine certo abolitum est illud impedimentum [1]. « *Catechismi* nomine hic venit instructio seu professio fidei, quæ ante collationem baptismi quæ foribus Ecclesiæ super baptizando, vel istius nomine fieri consuevit, etiam in hodierna Ecclesia, dum sacerdos baptizans interrogat baptizatum an satanæ renuntiat, an credat, etc. et loco baptizati is, qui in catechismo eumdem tenet, ad singulas interrogationes respondit [2]. »

Aliud impedimentum per consuetudinem de facto sublatum est illud quod oriebatur ex crimine. Hæc autem crimina quæ impediebant ne matrimonium póssit licite contrahi, sunt præcipue octo : susceptio propriæ prolis ex sacro fonte, interfectio injusta sacerdotis, publica pœnitentia, quando hæc agitur, matrimonium cum moniali, interfectio proprii filii, uxoricidium, raptus alienæ sponsæ, incestus.

Impedimenta mere impedientia quæ adhuc vigent, sunt sequentia :

1° *Ecclesiæ vetitum* est specialis prohibitio qua matrimonium auctoritate ecclesiastica quibusdam personis ex causa legitima redditur illicitum. Causæ præcipuæ ob quas superior ecclesiasticus potest matrimonium interdicere, sunt suspicio non vana latentis impedimenti, et timor gravium rixarum, scandalorum, etc. ob talium personarum conjunctionem.

Inde nomine interdicti Ecclesiæ non venit, interdictum ecclesiasticum, quatenus illud censura est ; nam tempore interdicti potest matrimonium, sicut cæteri contractus, licite celebrari, ut docent communiter canonistæ ; et hoc procedet etiam de personaliter et specialiter interdictis, si contumaciam deposuerint.

[1] Schmalzgrueber, l. IV, tit. xi, § 11. — [2] *Id.*, l. c.

2° *Tempus feriatum* illud est quo nuptiæ solemnes ab Ecclesia prohibentur. Tempus illud olim amplissimum hodierno jure angustioribus terminis conclusum est, nempe ab Adventu usque ad Epiphaniam, et a die Cinerum ad octavam Paschatis inclusive. (Conc. Trid. s. XXIV. c. x. de Ref.). Optat enim Ecclesia ut fideles hisce temporibus vacent liberius orationi, jejuniis, etc. a quibus abstrahunt nuptiæ. Prohibentur hoc tempore benedictiones nuptiales et cæteræ solemnitates, non autem, hodierno saltem jure spectato, ipse contractus matrimonialis.

3° *Sponsalia* rite contracta cum una persona, impediunt matrimonium cum alia, nisi interveniat dissolutio rite ac legitime facta; qui enim sponsalibus ligatus matrimonium contraheret, jus alterius partis læderet : unde sponsalia jure etiam naturali impediunt matrimonium.

4° *Votum* simplex castitatis, aut votum simplex ingrediendæ religionis, assumendi ordinem sacrum, impedit matrimonium contrahendum, omnis enim promissio Deo facta et ab eo acceptata inducit obligationem exequendi opere id quod fuit promissum; porro matrimonium induceret obligationem voto simplicis continentiæ contrarium, adeoque illicite contraheretur, nisi saltem votum post sponsalia jam contracta omissum fuerit, quo casu nec matrimonium impedit, nec sponsalia, ex parte voventis, dirimit.

B. De disciplina ecclesiastica in ordine ad matrimonium contractum.

Qui matrimonium accusare possint, vel contra illud testificari[1].

« *Quinam admittantur* ad accusandum matrimonium, vel testificandum contra illud? Si agatur contra ma-

[1] Add. ex Pirhing., l. IV, Decret., tit. VIII.

trimonium ad separationem thori propter adulterium, solus ad accusandum admittitur, conjux innocens, quia hujus tantum, non autem alterius interest. Si vero agatur ad separationem vinculi matrimonialis, ob hujus scilicet nullitatem, propter impedimentum consanguinitatis v. g. primo omnium admittuntur parentes ad accusandum, et his deficientibus proximiores consanguinei, ac post hos etiam extranei, præsertim maturiores, et antiquiores viciniæ; et si conjugum tantum intersit valere, vel non valere matrimonium, vel si impedimentum sit, in quo se ipsos juvare possunt conjuges, uti est impedimentum erroris, impotentiæ v. g. soli conjuges ad accusandum admittuntur, cum hi possint, si non velint ut conjuges, saltem ut frater, et soror cohabitare. Omnes autem, qui admittuntur ad accusandum, admittuntur etiam ad testificandum pro, vel contra matrimonium, dummodo alias sint idonei testes, ita tamen ut etiam parentes, et consanguinei, etc., in causa consanguinitatis v. g. testificari possint, prout sumitur etiam ex c. *Videtur* 3, h. t. (cum tales præsertim genealogiam suam nosse videantur), et idem possit esse testis, qui fuit accusator, aut denuntiator, prout ex variis juribus caus. 35, q. 6, patet.

Quinam sunt repellendi ab accusatione matrimonii?

Respondetur, repelli debent primo ab accusando matrimonium, qui propter quæstum accusationem intentant, c. Significante 5, h. t. cum talis accusatio non fiat ex bono zelo, et collusionibus obnoxia sit. Secundo repelli debent, ad multas fraudes cavendas, qui tempore præmissæ denuntiationis scilicet impedimentum, tacuerunt, nisi postmodum probent suam de denuntiationibus ignorantiam, aut jurent, quod in

notitiam impedimenti primum post denuntiationes illas factas, et contractum matrimonium venerint, neque quidquam malitiose contra matrimonium objiciant, c. cum in tua 6, h. t. Sunt autem tres casus, in quibus regulariter præsumitur ignorantia eorum, quæ palam fiunt in civitate. Primo si quis existat tunc temporis extra diœcesim. Secundo si quis tunc erat in tenera adhuc ætate. Et tertio si ex infirmitate patiebatur defectum usus rationis. »

De divortiis.

« An, et qua ratione licitum sit conjugi instituere divortium ob alterius adulterium. Divortium, de quo potissimum in hoc titulo agitur, non est dissolutio matrimonii quoad vinculum, qualis dissolutio fieri potest ob impedimentum dirimens perpetuum inter conjuges putativos intercedens, sed est separatio conjugatorum quoad thorum, et cohabitationem, etc., ita ut manente vinculo conjugali inter legitime matrimonio conjunctos, sibi tamen nec in thoro, nec in domo cohabitare teneantur taliter conjugati, quale divortium inter conjugatos fieri posse ab innocente, ob adulterium, aut illicitum concubitum cum altera persona ab altero conjuge commissum (si moraliter certus sit innocens conjux de talibus ab alio conjuge commissis) ex sacris litteris etiam patet Matth., v, v. 32, et ex. c. Significasti 4, h. t. neque enim frangenti fidem fidem innocens tenetur servare : si tamen, quæ innocens prius fuerat, et a marito v. g. ob adulterium hujus discessit, postea et ipsa adulterium committat, tenetur ad priorem maritum redire, et eidem matrimonialiter cohabitare, quia censentur in tali casu paria delicta mutua compensatione tolli,

c. penult. de Adult. juncta gloss. in notatis, et c. ex litteris 5, h. t.

An, et in quibus *casibus* non liceat divortium instituere propter conjugis adulterium?

Ex triplici potissimum capite non potest institui divortium ob conjugis adulterium. Primo scilicet, quia uterque conjux ejusdem criminis reus est, ob mutuam delictorum compensationem, ut dictum. Secundo, si culpa vacet adulterium, quia ibi nulla est culpabilis fidei violatio, separatio locum non habet. Tertio denique, si conjux innocens injuriam sibi per adulterium illatam expresse, vel tacite (ut si conjux innocens conscius adulterii alterius, sponte, et omnino libere copulam carnalem cum adultero conjuge habeat, aut alios actus conjugibus concessos admittat) remisit, et quasi condonavit.

An, et qua ratione conjuges propter adulterium separati, si postea reconciliati unus vel uterque relabatur in adulterium, possint *denuo divortium instituere?*

Posse iterum ab innocente, si post reconciliationem alter eorum, in adulterium relabatur, divortium institui, ratio, et auctoritas supra relata probat, quia præcedens venia, et reconciliatio ad præterita quidem delicta, non autem ad futura se extendit. Sicuti tamen communiter, et per se non tenetur in conscientia separare se ab adultero innocens, cum separatio talis permissa quidem sit a Christo, non tamen præcepta, et possit innocens quocumque tempore adulterum v. g. dimissum repetere, modo neuter conjugum statum mutaverit; ita, si innocens prius post sententiam divortii latam, adulterum committat, ex probabili sententia non tenetur redire ad conjugem, a quo propter hujus adulterium, per sententiam separata

pars ista fuit, cum per sententiam divortii liberata sit hæc pars prius innocens, ab obligatione cohabitationis matrimonialis, et alter nullum jus habeat repetendi conjugem, cum per adulterium, post sententiam separationis latam, non censeantur compensari delicta.

An vir possit dimittere uxorem sine indicio Ecclesiæ etiam propter publicum, ac notorium impedimentum parentelæ, seu cognationis?

Rectius fortassis hæc quæstio mota fuisset in quæst. 2[e], supra, ubi actum est de consanguinitate, et affinitate; quia tamen in hoc tit. c. *porro* 3. Pontifex hanc quæstionem decidit, placuit auctori method. hic eam referre; respondet ergo in cit. c. Pontifex, absque judicio Ecclesiæ talem non posse propria auctoritate uxorem dimittere, cum qua matrimonium in facie Ecclesiæ contraxit (ob reverentiam scilicet tanti sacramenti), etiamsi impedimentum sit notorium (publica scilicet fama) quia multa dicuntur notoria, eo quod publica de illis fama sit, quæ tamen notoria non sunt; et hinc cap. subsequens, significasti, ubi dicitur, cogi non debere eum ad conjugem recipiendam, quam propter adulterium notorium, sine auctoritate tamen Ecclesiæ, dimiserat, non contradicit priori cap. *porro*, cum in posteriore capitulo notorium dicat, quod nulla tergiversatione negari, aut excusari potest, in priore vero capitulo, notorium, non omne dubium, et in contrarium exceptionem, excludat.

Utrum, et quando ob adulterium spirituale, sive ob lapsum in hæresim, vel apostasiam a fide, alterius conjugis, liceat catholico instituere divortium, et an ei reverso ad fidem debeat conciliari, seu ad eum redire?

Quod possit propter lapsum in hæresim, vel apos-

tasiam a fide alterius conjugis, si pertinax pars hæc sit, innocens conjux divortium facere, ex apostolo Paulo ad Titum 3, et ex c. *quæsivit* 2, h. t. ac pluribus aliis juribus patet; si enim in carnali adulterio, favor hic separationis faciendæ concessus est innocenti, negari non debet propter adulterium spirituale; et quamvis propter alia conjugis nocentis crimina non possit divortium celebrare innocens conjux, uti colligitur ex cit. c. quæsivit. Utrumque tamen hoc tam carnale, quam spirituale adulterium excipitur, illud quidem ob fidem thori fractam, hoc ob periculum perversionis. Quod si tamen uxor a viro in hæresim lapso, propria auctoritate divertit, compelli potest, ut ad eam, si fidem iterum amplectatur, redeat; si vero per judicium Ecclesiæ ab eo separata fuit, compelli non potest, ut ad eum conversum redeat, c. de *illa* 6, h. t. posito quod religionem ingressa, et professa fuerit (ut ne scilicet textus hujus c. de illa, et sequentis capituli contradicant sibi) quod facere libere potest.

Si unus ex infidelibus conjugibus convertatur ad fidem, dissolvaturne vinculum conjugii, ita est conversus aliud matrimonium inire possit?

Respondetur per hoc, quod unus fidelium in hæresim, vel infidelitatem labatur, non dissolvi vinculum matrimoniale, ut ex dictis jam patet, patet tamen etiam ex c. *quanto* 7, h. t. quod si ex conjugibus infidelibus, alter ad veram fidem convertatur, et transeat, altera in sua infidelitate permanente, et vel omnino non, vel non sine blasphemia divini nominis cohabitare volente, vel ut pertrahat conversum ad peccatum mortale, ac pervertat, poterit conversus, ad secunda vota transire, relicta pertinaci, et perversa

conjuge in sua infidelitate; quod hodie etiam in eo casu præceptum est, quo infidelis conjux cohabitare vellet conjugi fideli, etiam sine injuria Creatoris, et sine inductione ad peccatum grave, aut periculum saltem seductionis, sive deinde hoc subsit ex propria fragilitate, sive ex malitia infidelis, concedente Domino hanc matrimonii dissolutionem in favorem fidei. Probabilius tamen est, quod matrimonium in tali casu fidelis taliter conversi cum infideli non dissolvatur ipso jure, per solam conversionem, sed tum demum, quando conversus aliud matrimonium inivit, quia si velit relicta in sua infidelitate uxor v. g. sequi postea maritum, et ad fidem etiam converti, vel saltem cohabitare illi sine injuria Creatoris, et sine inductione ad peccatum mortale, tenetur eam fidelis maritus, si nondum alias nuptias contraxit, recipere, in baptismo enim non conjugia, sed crimina solvuntur.

Ex c. gaudemus 8, h. t. habemus primo, quod infideles in gradibus a jure canonico tantum prohibitis matrimonialiter conjuncti, non debeant a se invicem separari, si postmodum ad fidem convertantur, cum illi in sua infidelitate constituti legitime contraxerint, nullo impedimento pure canonico eorum matrimonia dirimente, eo quod Ecclesia nullam in illos habeat tum temporis jurisdictionem, et eorum in infidelitate contracta matrimonia, verissimum fiat sacramentum, per baptismum ab illis susceptum, quamvis nullus novus expressus consensus in hoc sacramentum interveniat.

Secundo habemus ex cit. c. gaudemus, quod infideles ad fidem conversi, si plures prius in sua infidelitate habuerint uxores, primæ adhærere debeant, dimissis aliis, quia nulli unquam licuit plures simul habere uxores, nisi, cui divina revelatione hoc fuit

concessum, prout in antiqua lege concessum legimus patriarchis.

Tertio habemus ex eodem c. gaudemus, quod paganus, si repudiata sua uxore, ad fidem conversus aliam duxerit, cum tamen illa ad fidem etiam conversa maritum sequatur, repudiatam talem in infidelitate uxorem recipere debeat in matrimonii consortem, et ab illa, quam post repudiatam primam duxerat, recedere, etiamsi hæc repudiata cum alio jam contraxisset, cum enim hoc legis Evangelicæ tempore libellum repudii dare nulli ex lege divina concessum sit, consequenter nulla fuit repudiatio illa, sed vinculum legitime contracti matrimonii indissolutum permanebat, ergo si ad fidem utraque pars convertatur, ad se invicem, ut veri conjuges redire debent, non obstante, quod in infidelitate alia matrimonia contraxerint, quæ ob vinculum prioris matrimonii nondum dissolutum, nulla fuerunt.

Prohibetur quidem a pontifice in cap. Deus qui 9, h. t. ut ne tales deinceps, postquam fidem christianam susceperunt, sibi matrimonialiter copulentur; quodsi tamen in infidelitate adhuc positi talia matrimonia cum relictis fratrum suorum uxoribus contraxerunt, non prohibet illos manere in suo conjugio, et hoc uti, si tamen fratres illi sine prole ex tali conjuge decesserint, id quod juxta legem mosaicam antiqui testamenti Judæis licebat, ad hos etiam extendente Ecclesia. »

APPENDIX.

SIVE ART. III. DE SACRAMENTALIBUS.

1° Sacramentalium naturam et species expendemus;

2° Illorum juridicum statum in ecclesiastica œconomia determinabimus.

§ I. *De natura et speciebus sacramentalium.*

I. *Natura* sacramentalium quoad genus proximum communis est cum sacramentis in quibus utrobique reperitur externa et visibilis operatio quæ ad internam et invisibilem gratiæ operationem tum significandam tum efficiendam ordinatur. Sed differentia proxima alia est sacramentorum, alia sacramentalium. Et hoc quoad duo : 1° Quoad *auctoritatem* qua instituta sunt, 2° quoad *vim et efficaciam* qua gaudent. Namque sacramenta a Christo Domino divina auctoritate sunt instituta; contra vero sacramentalia ab Ecclesia, ab humana auctoritate originem habuerunt. Sed quod majus est, sacramenta tanta prædita sunt virtute ut sint media, instrumenta seu veræ causæ efficientes, secundariæ tamen et instrumentales, gratiæ illius ad quam ordinantur. Unde dicuntur sacramenta vim habere ex *opere operato.*

Contra vero, sacramentalia hac vi, hac intima virtute destituuntur, et in tantum sunt efficacia in quantum Deus pro sua benignitate annuit fidei Ecclesiæ quæ ritus illos instituit et frequentat, et bonas suscipientium dispositiones considerat. Unde non habent vim efficacem gratiam operandi, sed tantum *eam impetrandi* ex Dei misericordia et bonitate.

Unde si sacramenta definiuntur : Ritus visibiles qui ex Christi Domini institutione, gratiæ tum significandæ tum efficiendæ vim habent; dici debent analogice sacramentalia : *Ritus visibiles qui ex Ecclesiæ institutione gratiæ tum significandæ tum implorandæ vim habent.*

II. Definita sic natura sacramentalium ad illorum *species* devenire est, quæ sunt multiplices, et possunt distingui, 1° pro materia qua conficiuntur; 2° pro

tempore quo instituuntur; 3° pro subjecto cui applicantur; 4° pro fine ad quem proxime et immediate diriguntur.

1° *Materia* sacramentorum generatim dicendo est duplex : aut aqua aut oleum. Quare aquæ benedictio et sacrorum oleorum consecratio possunt considerari tanquam duo sacramentalia principalia quæ cæterorum omnium sunt fontes, quatenus cætera vel aqua aspersione vel sacri olei unctione conficiuntur; ideoque vel *benedictiones* vel *consecrationes* vocantur.

Sacra autem olea tria sunt : oleum infirmorum, oleum catechumenorum et sacrum chrisma. Duo prima simplice oleo, tertium oleo admixto balsamo et aliis simplicibus odoriferis conficiuntur. Ex his nobilius est chrisma, sive quia Christum repræsentat, sive quia ea materia ab antiquitate in usu est tum in sacramento confirmationis, tum in consecratione episcoporum, quæ sunt ordinis episcopalis. Ea propter aquæ benedictio ordinis presbyteralis est propria, non secus ac aquæ elementum est materia baptismatis quod a presbyteris jure ordinario administratur. Contra vero olei consecratio est functio ordinis episcopalis quæ quotannis feria V^a^ in cœna Domini, etc.

2° Quoad *tempus* quo conficiuntur, alia sunt quæ conjunctim cum sacramentis confici solent; alia vero quæ extra sacramentorum ministerium vagantur.

Primi generis sunt omnia quibus utitur Ecclesia in ipsa sacramentorum collatione : v. g. unctiones olei catechumenorum et chrismatis quæ fiunt in baptismate, fortasse unctio chrismatis in confirmatione, in ordine presbyterorum, quæ omnia Ecclesiæ lege peraguntur, sed ad sacramentorum essentiam non videntur pertinere.

Secundi generis sunt alia sacramentalia quæ data occasione conferuntur.

3° Quoad *subjectum* cui immediate applicantur : potest esse vel persona vel res, prouti consistunt in re permanenti vel in actu transeunti.

4° Quoad *finem* proximum, hic finis est, vel rei aut personæ consecratio sacris et religiosis usibus, vel ut actionibus alicujus personæ vel usui alicujus rei tantum adjiciantur. Primi generis sunt : collatio ordinum minorum, etc. ; secundi generis vero unctio regum, benedictio abbatum, benedictio navium, etc.

§ II. *De sacramentalibus respectu status quem habent in Ecclesiastica œconomia, tum in ordine ad finem, tum in ordine ad personas.*

III. Et 1°, in ordine ad *finem*, considerari possunt sacramentalia vel in genere, in suo systemate generali, quoad universam Ecclesiam, vel singula in ordine ad singulos.

Sub primo adspectu sacramentalia servant ordinem necessitatis in finem, quæ necessitas habet fundamentum in ipsa humana natura, quæ si per visibilia ab invisibilibus abstrahatur, eget continuo visibilibus rebus ut ad invisibilia revocetur. Quare, in genere loquendo, ipsa finis sollicitudo urget ut generale systema sacramentalium in Ecclesia recipiatur, ut ita ultimi finis assecutioni consuli possit.

Si vero considerentur singula quoad singulos, nullam de se habent necessitatem, sed magnam utilitatem in ordine ad finis assecutionem. Sed eam necessitatem quam de se non habent, possunt recipere ex Ecclesiæ præcepto. Quare vel Ecclesia illorum usum in specie non præcipit, et tunc utilia non necessaria sunt ad finem. Si præcipit, ex præcepto illo quamdam necessi-

tatem acquirunt majorem vel minorem secundum quod præceptum ipsum obligat sub gravi vel sub levi.

IV. 2° In ordine ad *personas:* status sacramentalium determinatur analogia ducta a statu sacramentorum, hac sola differentia, quod illud quod in sacramentis obtinet de jure divino, hoc in sacramentalibus obtinet de jure ecclesiastico.

1° Sicuti jure divino distinguuntur ministri a suscipientibus in re sacramentorum, ita jure ecclesiastico in re sacramentalium.

2° Sicuti clerici jure divino sunt ministri sacramentorum in oppositione ad laicos, ita jure ecclesiastico clerici sunt ministri sacramentalium, etc.

3° Sicuti non omnes clerici jure divino sunt ministri sacramentorum, ita non omnes clerici ministri sunt omnium sacramentalium. Sed sicuti presbyteri sunt ministri ordinarii omnium sacramentorum, iis exceptis quæ episcopali ordini reservantur, sic et iidem omnium sacramentalium sunt ministri quæ episcopis non reservantur.

4° Episcopali ordini reservantur ea sacramentalia quæ habent majorem analogiam cum sacramentis quæ sunt propria eidem ordini, ea nempe quæ assimilari videntur confirmationi et sacræ ordinationi presbyterorum : propria sunt sacramentalia omnia quæ habent majorem analogiam cum sacramentis illorum ordini propriis.

5° Sicut de jure divino quædam servanda sunt pro validitate sacramentorum, sic jure ecclesiastico plura servanda sunt tum in ordine ad materiam, tum in ordine ad subjectum pro validitate sacramentalium.

DISSERTATIO II.

DE REBUS SPIRITUALIBUS ORDINATIS AD EXERCITIUM VITÆ SUPERNATURALIS, SEU VITÆ CHRISTIANÆ.

Res Ecclesiæ spirituales vel ordinantur ad impendendam vitam spiritualem, vel ad eam exercendam.

De jejuniis loquendum inter opera pœnitentialia, cum sermo est de sacramento Pœnitentiæ, vel de rebus ordinatis ad charitatem in se exercendam.

Vita qua Ecclesia Dei supernaturaliter vivit, vita spiritualis est, et charitas; Deus enim charitas est, et qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in eo. Ergo res omnes quæ ad exercendam charitatem pertinent, sunt res spirituales, quæ ad exercitium vitæ christianæ ordinatæ sunt. Jamvero triplex est charitatis objectum : 1° Deus, 2° Unusquisque sibi, 3° Proximus. Ergo res spirituales quæ ad exercendam vitam christianam ordinatæ sunt, in tria capita distinguentur.

1um Caput erit de rebus ordinatis ad exercendam charitatem in Deum.

2um De rebus ordinatis ad exercendam charitatem ergà semetipsum.

3um De rebus ordinatis ad exercendam charitatem erga proximum nostrum.

CAPUT PRIMUM.

DE REBUS ORDINATIS AD EXERCENDAM CHARITATEM IN DEUM.

I. Charitatem in Deum exercemus religione, qua virtute ordinamur ad Deum ut illum debito honore, debito cultu, tanquam nostrum primum principium et ultimum finem prosequamur. Ergo quidquid est in Ecclesia ad divinum cultum directo, et immediate

ordinatum, id omne pertinet ad exercendum charitatem in Deum. Jamvero talia sunt :

Ubi. 1° Loca cultui destinata;

Quid. 2° Objecta cultui proposita;

Quibus auxiliis. 3° Utensilia quæ ad cultum inserviunt;

Quomodo. 4° Cæremoniæ quæ cultum dirigunt;

Quando. 5° Tempora cultui destinata;

Quis. 6° Officia quæ cultui præsunt.

De singulis his rebus quæ sub appellatione veniunt rerum sacrarum ob immediatam destinationem quam habent servitio divino, distinctis articulis loquemur.

ARTICULUS PRIMUS.

De locis cultui destinatis christianorum.

II. Jam inde ab apostolorum ætate christiani certe habuerunt loca, ad quæ frequenter conveniebant ut res divinas et sacras peragerent : hæc loca varia nomina habuerunt penes ecclesiasticos auctores : vocata sunt *oratoria* quasi loca orationis, *dominica*, quasi domus Dei, forte *tituli* ex titulo quem illis apponebant pii fundatores, *prophetica*, *apostolica*, *martyria* si in memoriam prophetæ, apostoli, martyris ædificata; *basilicæ* si antea fuissent domus regiæ audiendis causis, vel aliis negotiis publicis constitutæ, et dein ex regia liberalitate christianis donatæ ut ibi suos conventus peragerent : serius dicta sunt et *templa* quando videlicet, collapsa jamdiu gentilitate, periculum aberat confundendi loca christiano cultui destinata cum templis et fanis gentilium. Sed communius hæc loca appellare consueverint *Ecclesiæ*, traducto nomine a congregatione christianorum, quæ

illuc affluebat sacris operatura, et cujus materiale illud ædificium figura et symbolum existebat secundum quod sæpe in scripturis Ecclesiam Dei videmus materiali ædificio comparatam. Harum ecclesiarum distinctis paragraphis indicabò : 1° formam, 2° species, 3° sanctitatem.

§ I. DE FORMA ECCLESIARUM.

III. Primæ christianorum ecclesiæ formæ simplices et modicæ fuisse videntur, quales videlicet fidelium paupertas, paucitas et formidolosorum temporum ratio patiebatur. Sed aucta Ecclesia fidelibus et oblationibus, extincta christiani nominis invidia, accedentibus edictis imperatorum, de templis ethnicorum in ecclesiis convertendis et præsertim Constantini magni pietate, a quo sumptu regio munificentissimæ ædes sacræ excitatæ sunt, splendidissimæ constructæ sunt Ecclesiæ. Hæ præsertim ampliores pluribus constabant partibus, quarum aliæ interiores videlicet intra parietes, aliæ exteriores quæ parietibus non includebantur.

Partes interiores erant :

1° *Narthex* seu ferula, id est pars oblonga, et angusta ex transverso frontis ecclesiæ ubi degebant infideles, hæretici, catechumeni et pœnitentes ultimi ordinis ut conciones audirent.

2° A narthece lignis quibusdam repagulis separata, sequebatur *navis*, pars ea videlicet ubi fidelis populus sacris internat; repagula dicebantur portæ regiæ et speciosæ. In navi sua erant cuique definita loca quibus distinguerentur pœnitentes a communicantibus, mares a fœminis, virgines a nuptis, monachi a sæcularibus. In media navi erat *ambo* seu locus editus ad

quem per gradus patebat ascensus in eoque stabant cantores et lectores, qui epistolas et evangelia legebant, in eoque dyptica recitabantur.

3a Et intima pars erat *sanctuarium* quod Græci appellabant Βῆμα cancellis munitum septumque; huc laicis vetabatur ascensus. Suprema pars *sanctuarii apsis* dicebatur, ædificium scilicet semicirculi formam exhibens ubi thronus erat episcopi, et sedes circum presbyterorum : in medio, scilicet a pariete sejunctum, erat *altare* seu sacra mensa in qua offerretur eucharistia. Altaria initio ut plurimum fuerunt lignea, deinde lapidea facta sunt. Unum in græcis ecclesiis erat altare, uti nunc est. Huic alia etiam altaria accesserunt juxta ritum Græcorum in parecclesiis (par-ecclesias) seu in sacellis vix muro sejunctis ab Ecclesia principali, vel juxta ritum Latinorum alia per ambitum ipsius ecclesiæ, jam tum ab ætate Gregorii magni. Altare erat linteo obtectum, ciborio ad servandam eucharistiam ornatum, et super illud crux, et circum utraque ex latere candelabra.

IV. *Exteriores ecclesiæ* partes erant ædificia quæ ad eam pertinebant, sed intra ambitum interiorem ecclesiæ non continebantur. Tales erant :

1° *Narthex exterior* erat vestibulum, quod quatuor porticis constabat et cingebat atrium, aream seu locum sub dio cujus in medio erant conchæ aquarum ubi christiani ecclesiam ingressuri manus et os lavabant, unde repetimus usum aquæ benedictæ.

2° Cætera ædificia quæ generali *exedrarum* nomine vocabantur et erant.

Baptisterium, locus baptismati conferendo destinatus.

Secretarium sive diaconium ubi sacra indumenta,

sacra vasa, et universa sacra supellex servabatur.

Pastophorium quo designabantur ædificia pro custodibus, et ministris ecclesiarum : ita communius.

Schola et bibliotheca pro studiis clericorum.

Sed isthæc forma, quæ obtinuit quoad celebriores vetustas ecclesias christianorum, hodie in desuetudinem transiit, duobus vero semper servatis interioribus ecclesiarum partibus, quæ respondent variis statibus personarum in Ecclesia, juxta essentialem illius institutionem : videlicet navis et sanctuarium. In navi ponitur ut plurimum baptisterium. Sanctuarium autem tres partes habet, videlicet presbyterium, altare, chorum. Sanctuario adjacet diaconion, seu sacrarium. Navis est pro laicis; sanctuarium pro clericis, quo fit ut ædificium hoc materiale, ædificiis spiritualis, quod est Ecclesia distincta in clerum et populum, referat imaginum.

§ II. DE ECCLESIARUM SPECIEBUS.

V. Ecclesiæ seu ædis sacræ christianæ nomen late acceptum duas species ecclesiarum seu ædium sacrarum includit : aliæ sunt quæ sacris ordinario operandis sunt destinatæ, aliæ vero quæ extraordinario sacris peragendis deserviunt. Primi generis ædes dicuntur stricto sensu ecclesiæ : alterius generis ædes strictiori sensu vocantur oratoria, seu capellæ. Utrumque genus patet sequioribus distinctionibus. Seorsim de utroque.

Ecclesiarum divisio profisciscitur a majori vel minori earum dignitate, et ex juribus. Hæc major dignitas et majora jura apprehenduntur ex dignitate et juribus eorum qui illis immediate præficiuntur; unde constituunt categoriam valde consimilem cum categoria

graduum auctoritatis clericorum. Si qua ecclesia nonnullis juribus gaudet supra unam aut alteram ita ut ab una aliæ quodammodo propagatæ et natæ sint, una dicitur *matrix* aliæ *filiales*; adde quod parochiales, seu curatæ ecclesiæ, si habent fontem baptismalem quo fideles aliarum parochiarum debent adire ad baptisma, dicitur baptismalis.

Capellarum divisio hæc est. Aliæ sunt ecclesiæ principali velut unum corpus conjunctæ. Aliæ extra ecclesiam sitæ ab ecclesia tanquam principali sejunctæ. Illæ primæ velut ecclesiæ censentur. Hæ secundæ vel publicæ, vel privatæ sunt.

§ III. DE ECCLESIARUM SANCTITATE.

VI. Ecclesia considerat altare ut symbolum Christi, Ecclesiam sicut symbolum congregationis christianorum, vel regnantium cum Christo, vel militantium, vel purgantium. Utrumque pluribus mysticis ritibus consecrat et sacræ huic significationi dedicat. Ecclesia præsertim, et benedicitur in similitudinem baptismatis, et consecratur ad similitudinem confirmationis, reconciliatur in similitudinem pœnitentiæ : unde magna altaris et ecclesiarum sanctitas.

Ea quæ spectant ad ædificandas, reparandas, restaurandas ecclesias cum dicant relationem ad jura et officia singulorum in ecclesia erunt objectum specialis tractationis.

ARTICULUS II.

De objecto cultus christiani.

VII. Objectum cultus christiani, sicuti cæteræ omnes spirituales Ecclesiæ res, pro ingenita indole et cons-

titutione Ecclesiæ possunt duplici respectu considerari, videlicet sub adspectu invisibili, et sub adspectu visibili seu præ exteriori forma quam manifestat. Objectum invisibile cultus nostri aliud est primarium, aliud secundarium. Primarium est unus Deus, tres personæ, Pater, Filius, Spiritus Sanctus, ita vero quod cum Ecclesia immediatam suam institutionem repetat a Filii Dei persona, per quem creati, per quem redempti sumus, per quem coronabimur, per ipsum soleat orare Deum, qui est mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, quem habemus advocatum apud Patrem, qui factus est a Deo nobis sapientia, justitia, sanctificatio et redemptio.

Sed præter hoc objectum primarium habet Ecclesia et objectum quoddam secundarium cultus sui religiosi, videlicet angelos bonos ministros Dei et sanctos cum Christo regnantis in cœlis. Dicimus objectum secundarium quia cultus noster non terminatur in eis tanquam in suo ultimo termino, sed pondere suo fertur in Deum, qui est fons sanctitatis et gloriæ, propter quem eos veneramur. Deum enim in illis et per illos et cum illis veneramur; et quando prosequimur illorum merita, laudamus dona et misericordias Dei trophæa Christi. Non aliter in regno civili veneramur regios ministros, vel regium senatum, sed veneratio quam iis impendimus, natura sua fertur in regem, quia eos non veneramur in quantum natura sunt nobis coæquales, sed quatenus ob dignitatem quam a rege velut centro habent, sunt nobis præstantiores, illiusque majestatem unusquisque pro modulo suo nobis repræsentant. Porro ut duplex hoc cultus genus distingueretur : primum vocatum est cultus *latriæ*, alter *duliæ*, quæ verba si vocis etymon

spectemus non valde differunt: utraque enim servitutem dicunt; sed in primo casu servitus refertur ad subjectum colens, in altero ad objectum cultus, siquidem in primo profitemur Deo nostram servitutem tanquam rerum omnium supremo Domino; in altero glorificamur Deum in sacris suis.

Sed non tantum in genere colit Ecclesia sanctos cum Christo regnantes complexive sumptos, sed etiam in specie et distributive sumptos, quatenus felicem gloriæ nonnullorum statum vel privato sensu aut communi opinione existimamus vel publicæ auctoritatis ecclesiasticæ oraculo de illo edocti simus. In primo casu cultus est privatus, quippe qui ex privata colentium devotione procedit. In altero est publicus, siquidem publica Ecclesiæ auctoritate decernitur. Ecclesia autem hoc judicium non instituit de singulis qui in christiana communione moriuntur, sed de iis quos proponere possit tanquam singulari modo colendos ut fideles in eo quod celebrent invenire possint exemplar quod imitentur.

Hoc autem accidit ubi apprehenditur: 1° Vel perseverantia finalis in exercitio virtutum omnium in gradu heroico. 2° Vel martyrium pro Christi fide invicte toleratum : unde sanctos cultui proponit vel martyres aut confessores. Hoc autem judicium peragit vel tanquam interpres Verbi Dei, ubi sermo sit de iis quorum laus et elogium invenitur aut in verbo Dei scripto aut tradito. Inter omnes eminet beata Virgo Maria sancta Mater Dei, quam Ecclesia venerat tanquam Reginam martyrum, Reginam confessorum, Reginam virginum, Reginam sanctorum omnium, proinde cultus publicus qui illi rependitur in specie et singulariter ut a dulia communi distinguatur, dicitur *hyperdulia*.

Cæterum Ecclesia hoc peragit tanquam judex legitima, id deducendo tum ex actis vitæ et martyrii singulorum, tum ex signis et prodigiis quibus Deus solet servorum suorum sanctitatem testari.

Duplici autem modo sententia pro publico cultu in hoc judicii genere proferri solet ab Ecclesia. Unde canonizatio distinguitur in *sanctificationem* et *beatificationem.*

Beatificatio potius cultum publicum permittit et indulget; canonizatio præcipit.

Cultus qui permittitur beatificatione, ut plurimum in una provincia, civitate, religiosa familia coarctatur; in canonizatione extenditur ad universam Ecclesiam.

Judicium in canonizatione continet ultimam et finalem sententiam de servi Dei sanctitate : non ita vero in beatificatione.

Beatificatio prouti non ultimum et finale judicium, nec pro universa Ecclesia usque ad sæculum XI, uti videtur, pertinuit etiam episcopis, qui vel per se vel in conciliis adunati cum assensu cleri, et populi publicos hos honores decernebant. Deinde ad occurrendum abusibus est Romanæ sedis judicio reservata.

Sanctificatio non potuit competere nisi supremæ auctoritati Ecclesiæ.

Hæc satis dicta sint de cultu christiano considerato in suis variis gradibus, secundum objectum invisibile cui relationem dicit, quod objectum invisibile velut animam et spiritum donat cultui christiano. Sed habent christiani objecta visibilia quæ colunt in ordine semper ad objectum invisibile, cui dicunt relationem et pro relationis quantitate. Sunt autem SS. Eucharistiæ sacramentum, reliquiæ et S. imagines.

§ I. DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO

VIII. Placuit Christo Salvatori nostro inter septem sacramenta unum instituere omnium præstantissimum, cui non tantum gratiæ dispensationem, sed suam realem præsentiam alligavit. Hoc fecit in ultima cœna quam habuit cum apostolis suis ubi discessurus de hoc mundo ad patrem, ut Ecclesiæ passionis suæ memoriale perenne, acceptum panem et vinum, corpus et sanguinem sui effecit dicendo : Hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei, et apostolis eorumque in sacerdotio successoribus ut idem facerent usque ad mundi finem, tribuit potestatem. Hac supernaturali operatione quam Ecclesia catholica transubstantiationem vocat fit ut tota substantia panis convertatur in corpus, et tota substantia vini in sanguinem Domini nostri Jesu-Christi, et sic conversa perseveret donec exteriores species, seu accidentia panis et vini non corrumpuntur. Porro cum Christus Dominus e mortuis resurgens, non moriatur amplius ob vim naturalis unionis, qua partes Christi non amplius morituri mirabiliter consociantur credit Ecclesia una cum corpore et sanguinem et animam et una cum sanguine corpus, et animam contineri. Humanitas autem Christi non habet personalitatem et subsistentiam propriam, sed a Verbo semel assumpta nunquam relicta, nunquam relinquenda subsistit in divina hypostasi Verbi Dei seu est natura humana Verbi Dei. Ob hujus modi unionem hypostaticam fit ut una cum Christi humanitate et divinitas Christi reperiatur. Cum autem divina Christi natura sit eadem illa individua una quæ propria est Patris et Spiritus sancti per eam actionem quam theologi circumincessionem vocant, tota Trinitas divina reperitur.

Jamvero, Pater, Filius et Spiritus Sanctus tres personæ unus Deus constituunt objectum primarium cultus christiani; mediator Dei et hominum homo Christus Jesus ille est quem Ecclesia agnoscit tanquam suum immediatum auctorem et tanquam suam propitiationem apud Patrem, per quam orat. Ergo Ecclesia hoc sacramento usa est non solum ad spiritualem fidelium refectionem, sed illud præsertim sub speciebus panis quæ facilius conservantur, illud, inquam, servavit, et adorandum proposuit tanquam objectum principale circa quod volveretur cultus christianus. Et cum tanta inter signum visibile sacramentum et invisibile objectum cultus nostri, Christum Deum, adsit relatio, quanta quodammodo inter accidentia et substantiam intercedit quæ illis subjacet, eumdem illi profitetur cultum latriæ quem Christo ipsi profitetur, seu Christus veneratur sub apparentiis panis aut vini, sicuti si in humana figura ibi appareret. Cultus enim non terminat in figuram quæ exterius manifestatur, sed in personam quam colimus. Non aliter vestis qualitas est indifferens in ordine ad cultum quem regi debemus.

§ II. DE RELIQUIIS CHRISTI ET SANCTORUM.

IX. Sanctarum reliquiarum nomine strictiori et primario sensu intelligimus mortua sanctorum corpora, quæ si fuerint integra, aut spectabiles eorum partes vel etiam de ea singulari parte in qua passus est martyr, dicuntur *insignes*; secus reliquiæ *minores*.

Secundario intelligimus vestimenta quibus, dum viverent, usi sunt, aut quibus post mortem linteis sint involuti, nec non martyrii et mortificationis instrumenta. Res quæ illorum usui inservierunt. Demum

intelligimus quidquid illorum sacra corpora tetigerit, vel quidquid tale est quod illorum memoriam valeret revocare.

Secunda et tertia categoria admittit reliquias Christi et Beatæ Mariæ Virginis; non sic prima, quia valde dubia apud theologos est authenticitas nonnullarum reliquiarum quæ partem aliquam corporis Domini Nostri Jesu-Christi videntur prodere, sicuti præputium circumcisionis, aut nonnullas sanguinis guttas. Mariam Virginem pie credimus in cœlum cum corpore post transitum assumptam.

Cultus quem reliquiis servat Ecclesia cum cultus terminatur in personam, non in rem ipsam, ne fiat idolatria, est semper relativus, non absolutus.

Cultus autem hic relativus est primi ordinis ubi sermo sit de reliquiis quæ referuntur ad Christum, et præsertim de ligno Sanctæ Crucis, quod fuit instrumentum nostræ redemptionis.

Est secundi ordinis ubi de reliquiis quæ referuntur ad Beatam Virginem Mariam.

Est tertii ordinis ubi ad sanctos communes.

Nec tantum est specie diversus pro varietate objecti invisibilis cui dicit relationem, sed et major vel minor in eadem specie pro quantitate relationis.

Major impenditur corpori, quod vivens templum fuit Spiritus Sancti, membrum Christi et a Christo suscitandum et glorificandum; præsertim ubi consociatur ratio singularis passionis quæ illius virtutem speciali modo repræsentat et illius cultum promovet.

Minor iis rebus quæ contactum cum illis corporibus habuerunt, et pro contactu proximiori vel remotiori.

X. Sedulo ab Ecclesia hac in re cavetur :

1° Quod sancto cujus reliquiæ dicuntur, fuerint ab

Ecclesia publici cultus honores concessi; parum autem curatur quod nomen exploratum sit, dummodo de persona constet, quam tanquam sanctam coluerit Ecclesia. Tunc dicuntur reliquiæ baptizari, seu nomen aliquod illis imponitur; hoc tamen appellativum seu pluribus commune est, quod exprimit sanctitatem et gloriam ut absit mendacium, uti græce Theophilus, Theodorus.... latine Pius, Felix, Victor.

2° Ut corpus revera sit authenticum, id est, illius sancti cujus nomen profert. Hoc ut sedulo caveretur, decrevit Tridentinum nullas novas reliquias recipiendas nisi recognoscente et approbante episcopo, qui audito doctorum piorumque consilio id faciet quod veritati et pietati consentaneum. Ubi difficultas gravior apparet nec facile superanda, debet antequam quæstionem dirimat, expectare metropolitani et comprovincialium episcoporum sententiam in concilio provinciali; ita tamen ut nihil Romano Pontifice inconsulto novum aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur.

Cæterum cultus reliquiarum ab Ecclesia condita repetendus est, siquidem sæpe S. reliquiæ erant causa Ecclesiæ dedicandæ, sæpe altaria super sanctorum corpora erigebantur, aut iis imponebantur reliquiæ in theca inclusæ, easque fideles ad os, oculos, cæterosque sensus admovebant, et osculabantur. Sed præsertim antiquissima et ubivis recepta consuetudo fert ut sanctorum reliquiæ in consecratione ecclesiarum et altarium adhibeantur.

§ III. DE SACRIS IMAGINIBUS.

XI. Etiam imagines Christi, Beatæ Mariæ Virginis et Sanctorum aut sculptiles aut impressæ retineri

consueverunt et coli ab Ecclesia sive in ecclesiis, capellis... sive privatis in domibus. Non quod credatur, ait concilium Tridentinum, inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, velut olim fiebat a gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honor qui eis exhibebatur, refertur ad prototypa quæ illæ repræsentant, ut per imagines quas deosculamur et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus et sanctos quorum illæ similitudinem gerunt, honoremus.

Sunt ergo imagines in cultu christiano quædam signa quæ non aliter nec genere suo a verbis, vel scriptis distant, quæque nullo cultu sunt digna nisi pro relatione ad objectum invisibile cultus. Inde major vel minor pro excellentia personæ ad quam relationem dicit imago : maxima præstatur signo crucis jam tum ab Ecclesiæ institutione, quia est signum reparationis nostræ; pro quantitate relationis quam habet ad hoc objectum; certe minorem præ reliquiis, aliquando minimam, cum sint potius signa quædam conventionalia per usum determinata ad hoc ut unam vel aliam personam indicent quam veræ illius effigies. Sed summa utilitas ex hac veneratione orietur, quia juvatur infirmitas nostra et facile per hæc visibilia ad invisibilia elevamur, præsertim cum imperitis imagines sint libri, ut aiebat Gregorius Magnus; inde Ecclesia eas solet retinere, — licet major vel minor fuerit earum usus prouti circumstantiæ permiserunt, — nunquam autem nullus. Ne autem in hac disciplina irrepant abusus, sedulo cautum est per concilium Tridentinum ne insolita imago ponatur nisi appro-

bante episcopo, cujus est removere superstitionem, — docere — et quidquid sit inhonestum, aut profanum repellere.

ARTICULUS III.

De Utensilibus cultus christiani.

XII. Nomine sacrorum utensilium, vel sacræ supellectilis intelligimus instrumenta omnia quæ divino cultui deserviunt ; sunt autem :

1° Vasa omnia sacris Ecclesiæ ritibus peragendis destinata.

2° Vestes seu indumenta sacerdotalia quibus ministri sacri utuntur cum officio funguntur suo.

3° Omnia demum altaris et Ecclesiæ ornamenta.

§ I. DE VASIS.

Vasis varii generis utitur Ecclesia in divini cultus functionibus: alia enim continent materiam non sacram sed consecrandam, v. g. ampullæ ; alia materiam consecratam v. g. vasa olei sancti aut chrismatis, vel benedictam, ut conchæ aquæ benedictæ et fontes baptismales ; alia demum, sanctissimum sacramentum altaris, et alia quidem mediate uti ciboria, alia immediate uti ostensoria, pixides, calices, patenæ. Hæc alia aliis pro qualitate rei cui continendæ destinata sunt, censentur nobiliora ; ea quæ ordinata sunt ad immediatam custodiam sanctissimi sacramenti prouti omnium nobilissima, ex pretiosa materia confici debent, et sacro chrismate inungi, quæ functio est ordinis episcopalis, illorumque tactus laicis et minoribus clericis præsertim quoad partem internam est interdictus. Qui aliqua de iis erudita cupit legere, adeat Benedict. XIV. de sacrificio Missæ lib. I, cap. IV, V.

§ II. DE VESTIBUS.

XIII. Sicuti vasorum ita et vestium forma quibus primitus usa est Ecclesia, non videtur fuisse propria et singularis, sed ea qua laici etiam quemadmodum clerici in communibus vitæ usibus utebantur. *Alba*, juxta nos, quam Græci vocant poderem, non alia erat quam tunica communis; *casula* quam Græci planetam dicunt, non alia fuisse videtur quam pallium quod Orientales supra tunicam gestabant. *Dalmaticæ* erant vestes quibus supra tunicam communem utebantur Dalmatæ; *cingulum* commune cinctorium quo tunica ad pedes usque profluens sustinebatur *amictus* linteum ad tegendam nuditatem colli; *manipulus* sudarium; *stola* orarium; *pluviale* ex penula qua utebantur in itinere traductum fuit.

Solum sacri ministri jam tum a primis temporibus vestibus communis utique formæ, sed prætiosioribus usi sunt ad sacra peragenda. Confer. Benedict. XIV. ibid. capit. sequenti.

Sed recedentibus laicis ab illo antiquo vestiendi more et una cum ipsis clericis adamantibus alias vestiendi formas pro communibus vitæ usibus, remanserunt illæ vetustæ vestiendi formæ sacris usibus addictæ, nec tantum pretio et destinatione, sed et forma fuere differentes a vestibus communibus. Hæc vetusta forma plus minus servata est, sed plus penes Orientales, minus penes Occidentales qui commodiores vestes adamantes vetustam indumentorum formam sensim et sine sensu varie modificarunt.

Ita ex. g. pallium erat communis vestis orientalis super tunicam. Eo usi sunt primi evangelii ministri qui ex oriente prodierunt et una cum evangelii præ-

dicatione has praxes in occidentem attulerunt. Hoc evidenter exurgit ex pictis imaginibus pervetustis pontificum et presbyterorum quarum Romæ plures cernuntur. Sed ut sacra commode peragerentur, et brachia et manus essent expedita nec pallium inter agendum decederet, inde pectus conjungi cœpit et brachia hinc inde ex fimbriis extrahebantur. Alii vero Orientales, ut Chaldæi et Armeni, disjunctum pallium servarunt, sed adhibita fistula ad fimbrias ante pectus jungendas. Latini seu Occidentales pallium ante pectus junxerunt, sed cum nimis incommodum esset onus hinc inde decidentis pallii brachiis sustinere, paulatim resecarunt.

Hæc quidem fuit origo sacrorum indumentorum. Sed Ecclesia quæ ex omnibus occasionem sumit ut ad invisibilia ascendat 1° Varias vestes variis ordinibus assignavit, 2° Varios distinxit colores pro variis solemnitatibus quæ gerentur, 3° Variis benedictionibus ad sacros usus vestes has destinavit.

§ III. DE ORNAMENTIS CÆTERIS.

XIV. Varia sunt sacrarum ædium ornamenta, prouti candelabra, lampades, organa, æra sacra et cætera hujus generis. Hæ res omnes ordinarie loquendo non benedicuntur, quippe quæ remote sacris ministeriis deserviunt. Sed nobiliorem hac in re, hoc sub respectu locum occupant æra sacra, seu vulgari vocabulo campanæ, quæ solent solemniter ab episcopis benedici et sacro oleo inungi; proinde nonnulla de iis in specie.

Primis temporibus, videlicet persecutionum, a diacono vel ab alio viro privatim admonebantur christiani de sacris conventibus.

Dein tubis vel ligneis tabulis.

Sæculo tandem VI, vel VII campanarum usus.

Finis campanarum :

Laudo Deum rerum, plebem voco, congrego clerum, defunctos ploro, nimbum fugo, festaque decoro officia.

ARTICULUS IV.

De Cæremoniis cultus christiani.

Christiani cultus cæremoniæ, seu visibiles et exteriores praxes religiosæ quibus Ecclesia catholica cultum Deo reddit hæ sunt potissimum :

1° Sacrificium. 2° Sacramenta. 3° Preces.

§ I. DE SACRIFICIO.

XV. Augustiosa cæremonia quæ una cum religione quodammodo nata est et per omnes seu veri seu falsi nominis religioni propagata invenitur sacrificium est, videlicet visibilis ritus quo per alicujus rei aut realem aut symbolicam destructionem recognoscatur suprema Dei in res omnes dominium. Ad varios autem fines immediate dirigi consuevit isthæc solemnis oblatio Deo facta, videlicet aut unice ad latriæ cultum exhibendum Deo, quod sacrificii genus *latreuticum* dicitur a nostris, aut ad gratias agendas Deo de obtentis beneficiis, quod dictum est *eucharisticum*, aut ad nova beneficia impetranda, quod dictum est *impetratorium*, aut ad dandam quamdam satisfactionem Deo de patratis criminibus, seu, quod idem est, ad placandum Deum offensum ob culpas commissas, quod dictum est *propitiatorium*. Sed impossibile erat sanguine taurorum aut vitulorum auferri peccata, nec proinde poterant Deo accepta esse isthæc sacrificia nec illum hu-

mano generi propitium reddere nisi in quantum velut umbræ et figuræ ad sacrificium illud unicum ordinabantur quod dignam Deo satisfactionem dare posset. Quid autem hoc sacrificium crucis, ubi Christus Dominus Filius Dei se ipsum obtulit Patri in redemptionem pro omnibus, ut haberemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.

Porro cum hæc unica oblatio tanquam infinitæ virtutis extitit universalis et meritoria causa justificationis omnium quotquot salvantur, salvi facti sunt et salvi fient, non quærit Ecclesia catholica novas hostias, novas victimas quibus Deum sibi propitium reddat, quasi non satis in Redemptione Christi confidat aut aliunde sibi redemptionem procuret.

Non ideo tamen caret visibili et quotidiano sacrificio. Nam idem ille Deus et Dominus noster qui semel seipsum in ara crucis morte intercedente Deo Patri oblatus est ut æternam illic redemptionem operaretur.... in cœna novissime qua nocte tradebatur dilectæ sponsæ seu Ecclesiæ visibile ut hominum natura exigit relinquit sacrificium quo illud cruentum semel in cruce peractum representatur, illiusque salutaris virtus in remissionem peccatorum applicatur.

Hoc autem fecit institutione Eucharistiæ quando sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedech se constitutum declarans corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit et sub earumdem rerum symbolis apostolis, quos tunc novi testamenti sacerdotes instituebat, eorumque in sacerdotio successoribus ut offerrent, præcepit per ea verba : *Hoc facite in meam commemorationem.* Ex hac institutione factum est ut Ecclesia etiam habuerit visibile sacerdotium et sacrificium; sed sacerdotes

qui non sunt successores Christi, sed Christi vicarii et ministri, nomine Christi offerunt, seu potius per eos tanquam visibiles et secundarios sacerdotes primario et invisibiliter offert Christus, non sacrificium diversum a sacrificio Christi, sed illud idem sacrificium Christi, in offerendi tantum ratione diversum. Nam eadem illa hostia quæ in ara crucis oblata est, offertur in Eucharistia. Idem ille Christus qui seipsum obtulit in ara crucis se offert in Eucharistia.

Sola differentia in eo est quod mors quam subiit Christus in ara crucis, fuerit realis, et proinde cruentum obtulit Deo sacrificium reali separatione sanguinis a corpore; in Eucharistiæ sacrificio hæc mors, hæc sanguinis distinctio a corpore sit mere symbolica, mystica, representativa et in signo, cum ex Christi ipsius institutione vi verborum consecrationis separatur sanguis a corpore, et proinde præsens sistitur Christus in statu victimæ, seu sub signo mortis illius quam pro salute nostra passus est.

Hæc offerendi diversitas facit ut unum ab altero discriminemus tanquam sacrificium religionis a sacrificio redemptionis, tanquam sacrificium religionis quod est causa instrumentalis vel immediata nostræ justificationis, quatenus illius oblatione placatus Deus domum pœnitentiæ concedit, a sacrificio redemptionis quod satisfecit Deo et causa meritoria extitit nostræ sanctificationis : unum multiplex seu sæpe offerendum, alterum semel oblatum consummavit in æternum sanctificatos; sed substantialis identitas facit ut attributa unius reperiamus in altero, et utrumque latreuticum, Eucharisticum, impetratorium, propitiatorum sit. Ita exposita essentia dogmatica sacrificii cultus christiani, videamus quædam illi responderit disciplina.

XVI. Hanc perpendo 1° Quoad ritus et cæremonias quæ celebrationi hujus sacrificii accesserunt, 2° Quoad intrinsecam solemnitatem et exteriorem pompam qua celebratum est.

1° Pauca admodum fuissent essentialia requisita ad hoc sacrificium, quæ vel in una consecratione consisterent, vel ad summum etiam ad consummationem extenderentur. Sed Ecclesia plures ritus, preces addidit quibus suam fidem, gratitudinem exhiberet erga hoc sacramentum et fidelium mentes ad illius cultum excitaret. Tales fuerunt lectiones sanctarum scripturarum et præsertim Novi Testamenti et potissimum Evangeliorum, invocationes Spiritus Sancti, Oratio Dominica, supplicationes pro Ecclesiæ necessitatibus. Tales plures mystici ritus mixtionis aquæ, fractionis hostiæ, benedictionum.

Hic ordo dicendorum et agendorum in hujus sacrificii oblatione, qui dictus est *Liturgia* (publicum ministerium) ab apostolica auctoritate videtur sumpsisse originem. Argumentum est quod omnes liturgiæ quoad nonnulla capita concordant. Sed verisimile non est apostolos singula verba vel singulos ritus in specie determinasse; sed reliquerunt pastoribus Ecclesiæ determinandæ inde pro variis Ecclesiis variæ liturgiæ. Sed cum disciplina, præ cæteris, necesse sit uniformis ob majorem connexionem quam habet cum dogmatibus, inde plura concilia provincialia sedatis persecutionibus curarunt uniformitatem liturgiæ suffraganearum cum metropolitana Ecclesia. In occidente quatuor fuerunt liturgiæ : 1° Gallicana, 2° Hispanica seu Mozarabica, 3° Ambrosiana, 4° Romana. Romani Pontifices jam tum ab Innocentio I, ne hæretici ex diversitate hac occasionem sumerent proscindendi sinum

Ecclesiæ, sive ratione primatus sive patriarchatus urserunt uniformitatem cum Ecclesia romana, ut factum est sub Pippino et Carolo Magno in Galliis et sub Gregorio VII in Hispaniis. Ecclesia græca cessit in liturgiam S. Basilii et Chrysostomi.

Sub hoc rerum statu Pius V, anno 1570, cohærenter ad Concil. Trid. sess. 25, de indice librorum, Missale Romanum correxit, et proposuit omnibus ecclesiis, facta libertate retinendi vetustos ritus, siquidem fuissent a sede Romana in sua institutione probatos, aut 200 annorum consuetudine assidua observatos. Nonnullis hac libertate usi sunt, ut ordo prædicatorum; alii communiter amplexi sunt Romanam liturgiam. Hæc referas ad Latinos, non Græcos.

2° Maxima fuit pompa et solemnitas qua Ecclesiæ primordiis celebrabatur sacrificium eucharisticum, si quidem tota ecclesia ad illud offerendum conveniebat, adeo ut augusta illa cæremonia *synaxis* seu collecta vocaretur. Sed non omnes eumdem præstabant actum ad sacrificium, sed omnes proximiorem aut remotiorem singuli pro conditione sua. Plebs christiana pro suo statu laicali offerebat panem et vinum quod sacrificio peragendo inserviret et alimoniæ pauperum et ministrorum, sed nullam sibi vindicabat partem activam ad sacram cæremoniam conficiendam; adstabat, respondebat, communicabat, donec per diaconum dimitteretur; unde sacrificium Eucharisticum *Missæ* nomen traxit. Sed clerus pro suo statu nobiliori sacrum peragebat ministerium, ita tamen ut pro vario ordinis gradu proximius aut remotius clerici ad actionem sacrificam concurrerent, cujus confectio sacerdotibus reservabatur. Unus autem inter eos, videlicet episcopus, tanquam caput præerat ritui

illumque velut summus sacerdos conficiebat; cæteri sacerdotes velut inferioris ordinis sacerdotes una cum illo per modum unius ritum operabantur non secus ac hodie servatur in ordinatione præsbyterorum aut episcoporum consecratione.

Sed unus quisque videt quod in tanto rei apparatu paucissima erant essentialia, quæ videlicet vel in una consistebat consecratione a sacerdote facta, vel ad summum ad illius communionem pro sacramenti consummatione extendebatur. Inde jam tum ab illis primis sæculis quando ille tam conspicuus ordinariæ celebrationis modus, non deerant extraordinaria exempla, quibus a singulis presbyteris privatis in domibus, vel etiam ante lectum mox morituris sacrum peragebatur. Porro isthæc exempla de die in diem multiplicata sive ut fidelium commoditati, sive ut eorum pietati satisfieret, transiere in regulam qua ordinario liceret singulis sacerdotibus sine cleri populique conventu Missam celebrare, uno adhibito ministrante qui orationibus et precibus responderet. Non tamen obsolevit omnino vetusta illa celebrandi disciplina; sed illius vestigium paulo modificatum restat sive in Missis quas in ecclesiis cathedralibus diebus solemnioribus celebrant episcopi, vel in missis solemnibus quæ ad illius imitationem celebrantur in cæteris ecclesiis conventualibus, et aliqua ex parte etiam in missa quam diebus festis celebrant parochi in suis parochiis coram plebe sua; quæ aliquantulum et ipsæ collectis vetustis possunt comparari. Ut hæ missæ quæ solemniorem in modum celebrantur ab illis secernerentur quæ sine hac exteriori pompa, sine hoc conventu, uno tantum ministrante submissa voce celebrantur, illæ publicæ, hæ privatæ dictæ sunt.

§ II. DE SACRAMENTORUM MINISTERIO.

XVI. Ad ecclesiasticas cæremonias pertinent etiam administrationes sacramentorum, sive illorum nomine intelligamus ritus sacramentales qui divinam habent institutionem et conferunt gratiam ex opere operato, sive intelligamus ritus ad illorum imitationem ab Ecclesia institutos ad excitandam fidem, fovendamque pietatem fidelium, quos propriori sensu vocare solemus sacramentalia. Porro istæ omnes cæremoniæ sunt enim multiplices et variæ, quæ ratione rituum quibus consociantur ad operandam fidelium sanctificationem ordinantur; tamen cum nostræ sanctificationis causa efficiens sit misericors Deus et ultima gloria Dei et Christi, inde sub hoc alio respectu constituunt partem conspicuam cæremoniarum quæ ad Dei cultum in Ecclesia porriguntur.

Ut hujusmodi ritus secundum Ecclesiæ intentionem peragerentur, utitur Ecclesia libris ritualibus et pontificalibus, non secus ac libris missalibus quibus ordo tenendus in iis peragendis designatur. Sed cum horum tractationem jam præoccupaverimus loquentes de rebus spiritualibus ordinatis ad sanctificationem nostram, non attinet de iis alia dicere.

§ III. DE PRECIBUS PUBLICIS.

XVII. Cæteræ Ecclesiæ cæremoniæ possunt sub una generali intuitione comprehendi; consistunt enim in publicis precibus et supplicationibus. Hæ consistebant in pluribus psalmis, hymnis et orationibus, quas clerici et laici una convenientes matutino tempore ante solis ortum, et vespertino ad solis occasum alternis canebant, quæ originem dederunt illi orationis spe-

ciei, quam dicimus *officium divinum*, de quo egimus loquentes de clericorum officiis.

Sed hæc orandi methodus quæ communis erat Ecclesiæ primordiis et deinde studiis monasticis perfectior reddita est et in varias horas distributa, paulatim facta est clericorum propria, qui ad illam fundendam præcipiuntur vel publice, vel privatim, siquidem in sacris constituti sunt, vel beneficium ecclesiasticum obtinent. Publica autem et solemnis officii divini persolutio fit a canonicis in collegiatis aut cathedralibus ecclesiis, eaque quotidie velut antiquæ vestigium disciplinæ.

Hæc diu directa est ope librorum ecclesiasticorum qui dicebantur psalteria, lectionaria, antiphonaria, homiliaria, hymniaria, passionaria, collectaria, martyrologia, in quibus paucis verbis litterisque *rubentibus* precum gestuumque ordo notabatur, unde natæ sunt *rubricæ* harum cæremoniarum indices.

Postea universum officium in unum volumen contraxit S. Gregorius VII sub finem sæculi XI, quod dictum est breviarium, quod deinde juxta votum Tridentini concilii sess. 25 correctum est auctoritate S. Pii V sæculo XVI, et omnibus ecclesiis propositum, data libertate servandi alium ordinem illis tantum qui haberent jam tum a sua prima institutione a sede apostolica probatum vel consuetudine ducentos annos superante retentum. Cfr. Const. *Quod a nobis* quæ præmitti solet breviariis.

Sed non ideo quia hæc precandi methodus facta est clericorum propria, eamque in ecclesiis publice persolvant qui choro sunt addicti, remansit status laicalis sine prece communi in Ecclesia. Nam pro elemento vitæ perpetuæ quo gaudet Ecclesia, propter quod non

elanguescit, elanguescente disciplina, sed per novam disciplinam tempori applicatam reviviscit, plures aliæ introductæ sunt publicæ preces, et supplicationes quarum species variant propemodum ad infinitum, et populum christianum sive horis diurnis in ecclesiis, sive nocturnis in oratoriis, modo occasione publicarum circumgestationum sanctissimi sacramenti vel sanctarum reliquiarum et imaginum, modo occasione novemdialium aut triduorum, quæ solemnitatibus præmittuntur, modo occasione festorum qui sacrantur pietatis officiis in honorem unius, vel alterius sancti, retinent addictum. Ecclesia uberi indulgentiarum elargitione conservat et fovet has disciplinas, illum profectum spiritualem quem mortuis disciplinis moribus nostris improportionatis, obtinere non posset.

ARTICULUS V.

De tempore cultui destinato.

XVIII. Cultus religiosus in Ecclesia non est quid extraordinarium, sed ordinarium et quotidianum et præcipua quodammodo functio vitalis illius corporis moralis, non secus ac respiratio in corpore animali. Ergo nullum tempus a cultu divino in Ecclesia excluditur, imo universum vitæ humanæ tempus ad illum positive ordinatum est, ita ut vita christiana quæ per fidem exercetur in terra, sit exordium vitæ beatæ quæ in gloria consummabitur in cœlis. Fluxus et labilis temporis cursus est præsagium, prægustatio et nuntius æternitatis.

Videlicet Ecclesia et annis et diebus et horis christianas memorias et reminiscentias impressit, effecitque ut tempus ipsum a temporalibus homines abstra-

heret, ad invisibilia et æterna cogitationes hominum revocaret, et ita kalendaria, ephemerides, diaria civilibus usibus destinata sensim sine sensu paganas amitterent notas, christianis memoriis et significationibus scaterent, quæ continuo fidei nostræ mysteria, heroum nostrorum festa, et universam ecclesiasticam historiam edocerent, donec pro morali influentia quam exercuit in habitudines et consuetudines populorum ad id pervenerit ut unice et exclusive potita sit methodo computandi tempora, et kalendaria et ephemerides et diaria omnium cultorum populorum facta sint christiana.

De hoc magno opere, videlicet kalendario christiano, quo Ecclesia coordinavit tempora ad exercitium vitæ spiritualis, ad cultum divinum, ad finem supernaturalem, et secundum hanc coordinationem direxit habitudines et consuetudines omnium cultorum populorum, non tantum in ecclesiasticis et spiritualibus exercitiis, sed etiam in civilibus, — paulisper loquemur. Hoc præstabimus seorsim expendendo :

1° Æram christianam seu initium unde Ecclesia in kalendariis annos computat.

2° Dies festos ordinarios et periodicos intra annum, qui distribuunt dies singulorum annorum et veluti texturam generalem efformant kalendarii singulis annis.

3° Dies festos non periodicos intra annum, sed de anno in annum, qui festis diebus ordinariis perbelle connectuntur et illis conjuncti veluti telam generalem constituunt kalendarii christiani.

§ I. DE ÆRA CHRISTIANA.

XIX. Ecclesia annos computat non a mundi creatione, sed a mundi potius redemptione, non a primi hominis Adam formatione in quo omnes peccavimus, sed a nativitate secundi Adam Christi per quem reconciliati sumus Deo. Parum enim nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset. Æra igitur christiana quæ dicitur hodie æra vulgaris, est ætas Christi, seu sunt anni ab incarnatione vel nativitate Christi. Assumpto autem tempore seu anno nativitatis Christi tanquam epocha unde anni computarentur, annos qui felicem illam epocham præcesserunt, ab eadem epocha retrocedendo signare solet tanquam annos primum, secundum ante Christum natum. Est ergo in Ecclesiæ et vulgari usu positum quod nativitas Christi tanquam centrum computationis sive antecedentium, sive sequentium sæculorum constituatur, sicuti Christi adventus fuit causa salutis sive antecedentium sive sequentium sæculorum.

Disputant eruditi chronologistæ de anno nativitatis Christi Domini, et exploratum est omnibus auctorem æræ vulgaris qua nos in Christi annis enumerandis utimur, deceptum esse, cum Christum natum esse judicarit anno 753 Varroniano ab urbe condita, dum certe post annum U. C. 749 natus non est : imo valde probabiliter anno 747, et imperii Octaviani Augusti trigesimo octavo. Vide Palma, Hist. Eccl. Hoc probat quod anni ante æram vulgarem non sint semper anni ante Christum natum, et quod esset corrigenda ut annis Christi responderet ; sed non impedit quod mens Ecclesiæ sic computantis sit ea quam recensuimus.

§ II. DE FESTIS ORDINARIIS ET PERIODICIS INFRA ANNUM.

XX. Distributio dierum in hebdomadas, prouti quæ ab ipsa mundi creatione videtur originem habuisse, ab ipso Deo instituta et servata etiam in computis ecclesiasticis recepta est. Sed alia dederunt nomina diebus gentiles, alia hebræi, alia christiani. Gentes vocarunt dies a nomine deorum. Hebræi cum inter omnes hebdomadæ dies celebrarint sacrum sabbatum quo die requievit Deus ab opere creationis, a sabbato vocarunt cæteros dies primam sabbati, secundam sabbati.

Christiani vero non sanctificarunt sabbatum diem, videlicet quæ Deus completa creatione requierit, sed primam sabbati qua Christus consummato redemptionis opere resurrexit. Eam diem proinde immediate sequentem sabbatum judaicum ut sacram retinuerunt christiani, propterea tanquam diem Domini dixerunt Dominicam, et habuerunt tanquam principium hebdomadæ, sicuti Hebræi retinuerunt sabbatum, sequentes autem dies inter dominicam et dominicam positos, nec cum gentibus vocarunt a nomine deorum, nec cum Hebræis dixerunt primam, secundam... a dominica; sed retenta dominica tanquam prima feria qua Deo vacandum et feriandum sit, cæteros dixerunt secundam, tertiam, quartam feriam : relicto septimæ feriæ nomine sabbati in memoriam consummatæ creationis. « Nobis, aiebat Tertullianus cap. VIII et XIV adversus Psychicos, nobis omnis dies etiam vulgata consecratione celebratur; cum enim horrerent fideles nominare dies a diis gentium, vel judaico more a sabbato primam, et secundam sabbati.... idem ac si dominica feria prima diceretur,

appellavere cæteros dies feriam secundam, tertiam. Cfr. Gavant.

Quando ergo Ecclesia omnes dies in ordine ad cultum Dei vocat ferias, admonet fideles quod nunquam ab oratione, a Dei servitio supersedendum sit, et dies omnes vitæ humanæ Dei servitio consecrandi sint. Inde est quod jam tum ab antiquitate Ecclesia celebrat divina officia singulis feriis respondentia, licet ad ea frequentanda solis diebus dominicis et cæteris festis præcipuis, de quibus inferius, obligat fideles, quod ut liberius præstent, prohibet ne servilibus operibus dent operam.

Inde sanctificatio dominicarum præ cæteris feriis quoad duo capita recepta fuit in ecclesiastica disciplina, videlicet, 1° ut fideles ad divina officia convenirent, 2° ab iis abstinerent quæ mentem notabiliter averterent ab iisdem officiis.

Postquam vero immutata disciplina divini officii recitatio clericorum facta est propria, laicos non amplius coegit Ecclesia ut divinis officiis adstarent, solum ad missæ sacrificium, relinquendo illorum pietati ut aliis spiritualibus exercitiis incumbant.

Ex hac disciplina apparet quod licet Ecclesia omnes dies divino cultui sacret, nonnullos autem speciali modo, et sunt *Dominici*, principia hebdomadæ ecclesiasticæ.

XXI. Sed Dominici dies quamvis de septem in septem dies succedant, non tamen semper incidunt in eosdem dies mensium et annorum. Ut ergo generali quadam regula et perpetua in kalendariis ecclesiasticis appareret, quinam essent hi dies singulis annis speciali modo Deo sacri, simul ut appareret quinam dies singulis annis variis hebdomadæ feriis respon-

derent, et ita officium divinum singulis annis persolvendum uno ictu oculorum appareret pro directione sacrarum cæremoniarum, hoc artificio usa est :

Septem prioribus litteris alphabeti latini designavit septem dies hebdomadæ ecclesiasticæ easque prope singulos dies anni civilis hoc ordine disposuit : A margine primi diei januarii notavit litteram A. A margine secundi diei notavit litteram B ; a margine tertii litteram C... a margine septimi diei litteram G. Consummatis ita septem litteris, septem diebus primæ hebdomadæ alteram et sequentes hebdomadas eodem modo contradistinguit donec consummatis 52 hebdomadis videlicet 364 diebus, diem anni postremum qui superest tanquam initium sequentis hebdomadæ, notat littera A.

Jamvero cum de septem in septem dies eædem litteræ repetantur, littera quæ designat unam seriem in una categoria designat in omnibus, quæ designat dominicam in primo septenario designat in cæteris pro toto anno. Ita ex. g. annus præsens 1858 cœpit a die veneris a feria VI ; ergo A designabit omnes ferias VI præsentis anni, B, omnia sabbata ; C, omnes dominicas. Hæc littera quæ signat dominicas anni dicitur *dominicalis*. Desinit autem annus cum littera A seu cum eadem feria VI quæ incœpit ; ergo sequens annus incipiet a sabbato, proinde sequenti anno littera A indicabit sabbatum ; littera dominicalis erit B. Pari modo cum annus desinat in eam feriam a qua duxit exordium, sequens annus desinet die sabbati et propterea A erit littera dominicalis anni 1860.

Uno verbo si omnes anni constarent 365 diebus videlicet uno tantum die præter 52 hebdomadas cum singulis annis eadem littera A conduplicatur desig-

nando duas ferias videlicet postremam cadentis anni et primam incipientis anni, ordo succedentium pari gradu feriarum et litterarum, constanti ratione ita turbaretur ut litteræ de anno in annum designarent ferias immediate sequentes illas quas designabant anno antecedenti, seu quod idem est, feriæ anni sequentis designarentur littera immediate antecedenti illam qua designabantur anno antecedenti, seu litteræ dominicales de anno in annum inverso ordine progrederentur, donec completis septem annis ad eamdem redirent unde progressio originem duxit, et ita de septem in septem annos eædem, eodemque ordine redirent. Uno verbo constans reduplicatio litteræ A, quæ contingit initio anni facit constanter septem litteras transilire quot annis unam sedem, et litteras antecedentes occupare ferias quas occupabant litteræ immediate sequentes, proinde ferias non amplius designari littera qua designabantur anno elapso, sed littera inverso ordine immediate antecedenti.

Facta septies hac immutatione, consummatis septem litteris, elapso septennio feriæ designarentur littera qua designabantur septem ante annos et de septennio in septennium eædem litteræ eodem ordine cum iisdem feriis coinciderent.

XXII. Sed hanc progressionem succedentium litterarum dominicalium de anno in annum ordine inverso et redeuntium de septennio in septennium turbatur ratione annorum cæteris longiorum, qui solent intercalari. Hi sunt anni bis-sextiles sic dicti quia Julius Cæsar Augustus illorum institutor ut componeret annum civilem cum anno astronomico, postquam auxit nonagenta diebus annum quadragesimum sextum ante aerem vulgarem ut compensaret præteritas

omissiones, præscripsit ut anni sequentes ab illo anno confusionis de quatriennio in quatriennum haberent annum intercalarem qui fieret una die longior cæteris, repetendo bis sextum kalendas martias, videlicet dies vigesima quarta februarii juxta nostram computandi rationem.

Jamvero in kalendariis Ecclesiæ perpetuis diei 24 februarii seu sexto kalendas martii respondet littera F quæ pariter annis bis-sextilibus duplicabitur. Hac reduplicatione unius litteræ infra septenarium (non reduplicatis feriis) quæ contingit intra annum in bis-sextis, producitur ea perturbatio litterarum dominicalium intra annum quæ ordinario producitur de anno in annum quando anni sunt communes. Videlicet a bis-sexto kalendas martii, seu a die 25 februarii inclusive tanquam si esset initium alterius anni litteræ unam feriam transiliunt seu feriis immediate sequentibus respondent litteræ immediate antecedentes, seu mutatur littera dominicalis in proxime antecedentem, et unus idemque annus absorbet duas litteras dominicales unam·pro prima, alteram pro altera parte tanquam si duobus annis æquivaleret in ordine ad progressionem litterarum dominicalium.

Hoc clarum fiet sequenti exemplo. Littera dominicalis anni 1860, ut diximus, erit A; ergo sextum kalendas martii seu 24 februarii quæ signatur littera F, cadet in feriam sextam. In hypothesi qua annus hic esset communis dies 25 februarii cadens in sabbatum, signaretur littera G, et redeunte dominica rediret littera A. Sed bis repetita littera F, sicut bis repetitur sextum kalendas martii, quin repetatur feria sexta, accidit ut incipiendo a die 25 februarii F, non designet amplius feriam VI sed immediate sequentem, vide-

licet sabbatum, seu feriæ sequenti respondeat littera quæ prius respondebat feriæ antecedenti. Propterea littera G, non designabit amplius sabbatum sed dominicam, seu littera dominicalis mutabitur in litteram immediate antecedentem ac si novus annus incœpisset a secunda parte bis-sextilis anni. Inde fit quod annus ille habebit duas litteras dominicales A G. Unde annus sequens non poterit habere litteram dominicalem G. quam habuisset si annus 1860 fuisset communis (ea enim assumpta est ab anno bis-sextili), sed habebit litteram dominicalem immediate antecedentem F, et ita porro.

XXIII. Non tamen putandum est quod ordo succedentium litterarum, et eodem ordine redeuntium et coincidentium iisdem feriis post aliquod temporis, seu annorum spatium impediatur omnino. Perturbatio enim ordinis quæ occurrit annis bis-sextilibus est quædam perturbatio constans, accidens singulis quatuor annis, ita ut perturbatio causata a singulis bis-sextis æquivaleat perturbationi duorum annorum successivorum. Sicut ergo septena uniformis et ordinaria perturbatio et interruptio quæ causatur ordini succedentium litterarum successione septem annorum communium reducit ordinem in pristinum, ita et septena extraordinaria quidem, sed uniformis perturbatio, et interruptio quæ causatur annis bis-sextilium, septem bis-sextorum reditu compensatur.

Videlicet sicut septem anni communes successive percurrentes singulas septem litteras dominicales ordine inverso exhaurirent septenarium integrum, et facerent ut octavus annus redire deberet ad eam litteram dominicalem unde primus duxit exordium, ita et anni bis-sextilis absorbentes singuli unam litteram

septenarii præter ordinariam et consuetam, septies redeuntes percurrunt singulas litteras septenarii, exhauriunt pro se integrum septenarium litterarum, et perinde ac si alii septem anni communes pertransissent, reducunt ordinem in pristinum. Sed ut decurrant septem bis-sexti ordinarie loquendo desiderantur 28 anni. Ergo perturbatio producta a bis-sextis impedit quidem quominus eædem litteræ dominicales redeant de septenario in septenarium, sed uniformem litterarum dominicalium reditum non tollit omnino, sed longiori annorum progressione restaurat, videlicet lapsu 28 annorum qui absorbant quinque solida septenaria litterarum, videlicet quatuor septenaria quia sunt 28 anni, alterum septenarium seu quintum quia septem ex iis sunt bis-sexti.

Jamvero hæc periodus 28 annorum dicitur *cyclus solaris*, et solet computari ab anno nono ante æram christianam ita ut hodie seu præsenti anno 1858 transierint 66 integri cycli, et simus in numero decimo nono cycli 67.

XXIV. Hisce positis, ut uno oculorum ictu cognoscantur litteræ dominicales respondentes singulis numeris cycli solaris, et simul melius et practice cognoscantur, quæ huc usque diximus, solet sequens tabula constitui quam nos producimus ab anno 1858 ad annum 1885 sed sequentibus annis de 28 in 28 juxta numerum cycli solaris quem habet, applicatur.

ANNI DOMINI.	CYCL. SOLAR.	LITTERA DOMINICA.	PRIMUS ANNI DIES.
1858.	19.	C.	Veneris.
1859.	20.	B.	Sabbatum.
1860.	21.	A. G.	Dominica.
1861.	22.	F.	Martis.
1862.	23.	E.	Mercurii.
1863.	24.	D.	Jovis.
1864.	25.	C. B.	Veneris.
1865.	26.	A.	Dominica.
1866.	27.	G.	Lunæ.
1867.	28.	F.	Martis.
1868.	1.	E. D.	Mercurii.
1869.	2.	C.	Veneris.
1870.	3.	B.	Sabbatum.
1871.	4.	A.	Dominica.
1872.	5.	G. F.	Lunæ.
1873.	6.	E.	Mercurii.
1874.	7.	D.	Jovis.
1875.	8.	C.	Veneris.
1876.	9.	B. A.	Sabbatum.
1877.	10.	G.	Lunæ.
1878.	11.	F.	Martis.
1879.	12.	E.	Mercurii.
1880.	13.	D. C.	Jovis.
1881.	14.	B.	Sabbatum.
1882.	15.	A.	Dominica.
1883.	16.	G.	Lunæ.
1884.	17.	F. E.	Martis.
1885.	18.	D.	Jovis.

§ III. DE FESTIS PERIODICIS DE ANNO IN ANNUM.

XXV. Præter Dominicas et ferias quæ conficiunt texturam generalem kalendarii christiani, prouti Deus cujus cultui ordinario immediate referuntur, est objectum principale, primarium et fundamentale cultus christiani, alii plures sunt dies festi qui feriis et dominicis connectuntur, et variis annis pro rituum varietate sibi invicem occurrunt. Vel secum concurrunt; et ex omnium complexu resultat integre cyclus kalendarii ecclesiastici.

Sunt autem hi dies festi quotannis periodici, et pro varietate objecti quod celebrent in tres categorias possunt distingui.

Alii sunt sacri, nempe anniversaria quæ Ecclesia celebrat in memoriam felicis mortis sanctorum suorum martyrum aut confessorum, quorum mors cum illis fuerit natalis ad vitam, solet natalis aut natalitatii nomine in kalendariis designari.

Alii sunt sacri quorum objectum sunt mysteria vitæ et mortis et gloriæ B. Mariæ Virginis, quibus recolimus illius Immaculatam Conceptionem, Nativitatem, Annuntiationem... Assumptionem in gloriam.

Alii demum potiores cœteris sunt sacri mysteria recolantes, Nativitatis, Resurrectionis Christi et adventus Spiritus sancti; ita ut constituant tres potissimas solemnitates ecclesiasticas; videlicet Natale, Pascha, Pentecosten, quæ velut in tres magnos cyclos sibi distribuunt universum annum ecclesiasticum, et feriis et dominicis antecedentibus et consequentibus dant nomen.

Varia hic dicenda occurrerent de diversitate rituum quæ respondet his festis in liturgia ecclesiastica, non

secus ac stella a stella differt claritate in cœlis. Multa essent dicenda de variis obligationibus, seu melius de varietate obligationis qua populus christianus illorum celebrationi adstringitur. Videlicet ritus singularum festarum celebrationi respondentes in officiis liturgicis, possunt spectari sive quoad ea quæ festorum celebrationi prœmittuntur, ex. gr., vigiliæ ; sive ad ea quæ consequuntur, videlicet octavæ ; sive ad ea quæ concomitantur, videlicet ritus nobilioris vel inferioris ordinis.

Alia enim celebrantur ritu simplici, alia ritu duplici, alia ritu semi-duplici. Quæ celebrantur ritu duplici, alia sunt communia, alia sunt duplicia majora, alia primæ, alia secundæ classis. Ita ut obligationes quibus tenetur populus christianus ad ea celebranda spectari possint sive ad ea quæ antecedunt, veluti jejunia, sive ad ea quæ concomitantur ; siquidem aliquando ea debet sanctificare auditione missæ et abstinentia ab operibus servilibus ; aliquando tenetur tantum audire sacrum, non ita abstinere a servilibus ; aliquando neutra obligatione tenetur, sed illorum cultus singulorum devotioni relinquitur.

Similiter, sive ritus, sive obligationes festis respondentes sunt variæ pro varietate locorum. Sed hæc omnia vix innuisse sufficiat, in tractatione generali, prœsertim hic ubi non agimus de varietate rituum ecclesiasticorum, sed directo de calendario ecclesiastico.

Ut ergo redeam ad scopum principalem præsentis tractationis, ex omnibus festis, duo eligam quæ habent majorem affinitatem cum distributione temporum in ecclesia, quoad cultum divinum. Sunt autem : 1° festum Nativitatis Domini ; 2° festum Paschalis resurrectionis de quibus seorsim.

I. De festo Nativitatis.

XXVI. Inter solemniores dies quos celebrat Ecclesia, profecto unus ille est quo anniversaria recordatione concelebrat Jesu-Christi Salvatoris nostri Nativitatem, quam signat die 25e decembris singulis annis.

Hic autem præ cœteris festis habet majorem relationem cum ordine kalendarii ecclesiastici, quod initium anni ecclesiastici designat. Sane cum Ecclesia annos computet ab incarnatione Domini, œquum fuit ut ab ejusdem Incarnationis Domini anniversaria commemoratione pro ecclesiasticis officiis annum inchoaret. Sed cum ecclesiastici moris sit quibusdam solemnioribus festivitatibus quosdam dies piæ preparationis præmittere, illarumque gaudia spiritualia in plures sequentes dies protrahere, qui dies vel antecedentes vel consequentes, juxta Ecclesiæ intentionem unum quid morale efforment cum solemnitate ad quam ordinantur, non præcise a die 25o decembris, sed a diebus præparationis quæ huic solemnitati præmittuntur, incipit annum ecclesiasticum.

Jam vero hi dies qui ob solemnitatem ad quam disponunt, dici solent dies sacri Adventus, non habent in kalendariis numerum determinatum, sed eorum numerus a littera dominicali dependet. Nam Ecclesia pro suo more computandi de dominica in dominicam, quatuor dominicas vult Nativitati Domini præmittere : tempus in iis comprehensum ut tempus S. Adventus. Sed dominicarum citior vel tardior recursus pro varietate litterarum dominicalium accidit. Ergo pro variis litteris dominicalibus S. Adventus, tempus vel protrahitur vel contrahitur.

Sane littera respondens in kalendariis diei 25 de-

cembris est littera B : si ergo littera dominicalis erit A, tempus S. Adventus erit perbrevissimum, et expletis tribus hebdomadibus comprehensis intra quatuor litteras dominicales, vix initium tangit quartæ hebdomadæ. Nam littera B immediate sequitur quartam litteram dominicalem A; seu dies Nativitatis Domini recurrit die lunæ, seu feria secunda immediate post dominicam quartam Adventus.

Sed si littera dominicalis percurrens ordine inverso sui retrogrado, integrum septenarium ab A redeat ad B, hoc tempus S Adventus erit longissimum. Nam cum littera dominicalis coincidat cum littera diei 25 decembris, fit ut dominica immediate sequens quartam dominicam Adventus, seu dies Nativitatis Domini seu dominica quarta Adventus distet a Nativitate Domini spatio integræ hebdomadæ.

Sed quarta littera A, ascendendo a die 25 decembris incidit in diem 3um decembris, quarta littera B, in diem 27 novembris; ergo a die 27 novembris ad diem 3um decembris, seu a dominica quæ inter hæc duo extrema continetur, incipit sacer Adventus, initium anni ecclesiastici.

Cum autem medium inter hoc duo extrema reperitur anniversarium S. Andreæ quod Ecclesia celebrat die 30 novembris, pro regula practica traditur quod dominica huic festo proximiori incipiat annus ecclesiasticus.

II. De Paschate Resurrectionis.

XXVII. Altera solemnitas quæ summam habet relationem cum ordine kalendarii christiani est festum Paschalis Resurrectionis; quippe ab eo tanquam a primo mobili, cætera festa mobilia dependent, quæ ornant cultum christianum. Sed hujus festivitatis de-

terminatio non adeo facilis est sicut determinatio festi Nativitatis Domini et sacri Adventus.

Nemo enim, ut vel parum in historia ecclesiastica versatus nescit celebrem controversiam ortam sub finem sæculi secundi, circa Paschatis christiani celebrationem. Videlicet christiani qui in Asia minori commorabantur, Paschatis festum celebrare solebant cum Judæis, luna 14ª mensis Nisan. Est autem mensis Nisan primus mensis lunaris, seu cujus luna XIVª nempe plenilunium cadit in diem verni æquinoctii, vel prope ipsum sequitur.

Reliqui vero christiani, vel ab ipsa Apostolorum ætate, Pascha agebant dominico die qui post æquinoctium vernum, lunam XIV mensis Nisan immediate sequeretur; nec certe inconsulto.

Sciebant enim Pascha christianum non esse Pascha legale, sed diem solemnis commemorationis Resurrectionis Christi. Jam vero Christus non resurrexit die Paschalis legalis, sed prima sabbati seu dominica, quæ immediate consecuta est Pascha Judæorum.

Sed tamen dissentio erat pure disciplinaris, et in facto posita, quo dies Paschalis anticipabatur ab Asianis, non mosaïcorum rituum custodiendorum cupiditate, sed veteris tantummodo traditionis servandæ cura, quam ab apostolo Joanne derivatam arbitrabantur. Propterea nulla initio, hac de causa in Ecclesia mota est controversia. Sed rerum facies immutata est sub finem sæculi 2ⁱ quando quæstio cœpit esse dogmatica. Siquidem Montanistæ et Blasius, ecclesiæ romanæ presbyter, asserere incipiebant, divino jure christianos teneri cum Judæis celebrare.

Victor, qui tunc Romanus Pontifex erat, timens ne Asiani ejusdem erroris participes essent, atque ipse

videri posset eorum errori connivere, diutius hunc Asianorum morem tolerandum non judicavit. Non tamen immediate paruerunt Asiani sententiæ R. Pontificis; sed quadam traditione suffulti quam a Joanne apostolo repetebant, ut insolitis moribus indulgerent, in plures annos protraxerunt dissentiones et controversias donec anno 325, in concilio Nicæno, pax restituta est hoc modo.

Decretum est ut, juxta Romanæ Ecclesiæ cæterarumque ecclesiarum traditionem, Resurrectio Christi Domini quæ Pascha dicitur, celebraretur die dominica post 14 lunam, quæ vel in æquinoctium vernum caderet, vel illud proxime consequeritur. Dies autem XXI martii deinceps tanquam æquinoctii dies haberetur, ut omnis quæ ab astronomicis rationibus de vero æquinoctio oriri posset controversia, removeretur.

Ut autem omnis etiam quæstio removeretur quæ ex vario modo computandi lunationes, seu menses lunares, illorumque dies oriebatur, omnem hanc computandi curam concilium Nicœnum commisit Episcopis Alexandriæ, ubi astronomorum principes floruerunt, ut reliquos episcopos singulis annis certiores facerent de dominico die quo Pascha celebrari oporteret.

Inde ortus est mos litterarum seu epistolarum Paschalium, quæ de una in aliam ecclesiam mittebantur, et solemniter in singulis cathedralibus ab archidiacono publicabantur, qui die Epiphaniæ Pascha indicebat cum omnibus festis mobilibus anni currentis juxta formulam quam hodie servamus initio tertiæ partis Pontificalis Romani.

Sed computatio Alexandrina, quæ decreto Nicæno erat sequenda, et magis magisque vulgata et universalis reddita est per Dionysium Exiguum anno 525

(qui prosequens tabulas paschales Cyrilli Alexandrini, computum illum in Ecclesia Romana vel numquam receptum instauravit, vel obsoletum restauravit), Alexandrina, inquam, computatio, licet cæteris perfectior, non tamen erat perfectissima, nec respondebat amussim veritati : unde praxi ipso cogente, fuit tandem unanime ecclesiasticorum virorum votum ut kalendarium reformaretur. Quoad defectus hujusce kalendarii variasque ejus reformationes nec non et lunationem paschalem, vide tractationes speciales de computo ecclesiastico.

ARTICULUS VI.

De ministeriis seu officiis sacris.

XXVIII. Unus superest paragraphus ad explendam tractationem de rebus sacris, videlicet de rebus ad christianum cultum immediate et directo destinatis. Est autem paragraphus quem inscripsi de ministeriis seu officiis sacris, seu de officiis, muneribus, vel ministeriis inscriptis ad obeundas functiones sacras cultus christiani. Paucis modo de horum officiorum notione et speciebus, relinquendo speciali tractationi ea quæ spectant ad modos ea instituendi, modificandi, supprimendi, acquirendi, amittendi.

§ I. DE NOTIONE SACRORUM OFFICIORUM.

Officium sacrum, generatim loquendo, est ministerium ad obeundas functiones christiani cultus institutum. Sed Ecclesiæ ministri, seu sacrorum administri in Ecclesia sacra ordinatione inaugurantur. Ergo notio officii sacri et variarum ejusdem specierum ex sacræ ordinationis notione fundamentaliter derivatur.

Propterea generatim lequendo tot sunt officia sacra in Ecclesia quot sunt ordinis gradus inter clericos distributi.

Sed sacra ordinatio, dum ex una parte præbet fundamentalem institutionem officiorum sacrorum, illorumque varias species et gradus, ex altera tamen per se inspecta non determinat in concreto conceptum singulorum officiorum sacrorum. Nam definit quidem gradum potestatis et officii genus singulis ordinibus in abstracto respondens, sed non determinat notas omnes et circumstantias individuantes, quæ illius exercitium in concreto definiunt. Omnes episcopi, v. g. vi consecrationis susceptæ, sunt ordine pares inter se, identicam habent in sacris potestatem, ejusdem generis officium sacrum, ita ut vi consecrationis non adsit ratio quare ab uno potiusquam ab alio episcopo hæc vel illa functio episcopalis ordinis debeat obiri. Ob hanc determinationem in abstracto et indeterminationem in concreto, quæ exsurgeret ex mera ordinis collatione, fieret ut aliquando plures possint tumultuatim ad eamdem functionem peragendam concurrere; et cum non adesset ratio quare unus alteri præferatur, unus alterius actionem ederet; aliquando vero e contra, cum omnes tenerentur in abstracto ad illam functionem, ordini sui respondentem exercendam, nemo autem in specie et in concreto, evenire posset ut episcopus non inveniretur qui functiones episcopales obiret.

Quod dicimus de ordine episcopali, dicite de cæteris. Unde colligite necessitatem qua ab ecclesiastica disciplina providendum esset ut officium vi sacræ ordinationis susceptum in concreto individuaretur et determinaretur in suo exercitio, ut unusquisque suo

officio pacifice fungeretur quin ab altero perturbaretur cum detrimento cultus christiani.

Huic rei prospiciens vetus Ecclesiæ disciplina prohibuit omnino ordinationes absolutas, et admisit tantum in ordine ad munus aliquod determinatum in aliqua Ecclesia determinata peragendum, quo fiebat ut ordinatus hanc concretam sui officii determinationem ipso sacræ ordinationis actu reciperet. Videlicet non ordinabatur quis Episcopus, aut præsbyter..... aut ostiarius in genere, sed ordine dicto ad determinatam Ecclesiam in qua suo officio fungeretur. Erant enim determinata officia sacra singulis ordinibus respondentia pro sacris functionibus in singulis Ecclesiis peragenda instituta tot numero quot necessitati et decori cultus divini sufficerent.

Vacatio alicujus ex his officiis determinatis erat ratio, seu *titulus* propter quem novus clericus debebat ordinari; et eodem actu quo illi per sacram ordinationem sacra potestas conferebatur, conferebatur etiam officium in concreto determinatum, et potestati ordinis conveniens quo potestatem illam exerceret. Inde ante S. Ordinationem tituli ordinandorum ab archidiacono debebant annuntiari (c. I, d. 70); et ordinati a titulo sui ordinis dicebantur illius determinatæ Ecclesiæ cathedralis episcopi, aut canonici, aut illius Ecclesiæ præsbyteri....... ostiarii, cum etiam ordines minores secum ferrent officia effectiva. Hæc individuatio officii sacri a clericis præstandi determinabat sacra officia in concreto. Et cum hæc determinatio fieret eodem S. ordinationis actu, ita ut ordo non conciperetur nisi in ordine ad determinatum illud officium, apprehendebatur ipsum officium sicut ordo perpetuus, ita ut non nisi suspensione aut degrada-

tione ab ordine, aut promotione ad ordinem superiorem, suspendi aut vocari posset ordinatus.

Sed vetusta hæc disciplina qua ordinis, ipso ordinationis actu, prævidebatur permanens occupatio qua acceptam potestatem sacram exercerunt, et unde alimentum pro vitæ cultu susciperint, licet aliunde optima, non erat autem unica disciplina; et sicut auctoritate ecclesiastica conjuncta erat ordinis collatio cum collatione determinati alicujus officii, ita poterat ecclesiastica auctoritate sejungi.

Propterea jam tunc a sæculo XII, admittebantur hic illic clerici ad sacram ordinationem sine respectu ad determinatum officium aliquod in Ecclesia præstandum; sed ut pro Ecclesiæ opportunitate, vel necessitate juxta episcoporum consilium inservirent. Sacra autem officia ab Ecclesia determinata pro functionibus ordinariis cultus divini, juxta locorum varietatem præstandam, seorsim a sacra ordinatione conferri cœperunt, vel ante ipsam ut clericis tanquam titulus suæ ordinationis secundum vestigium antiquæ disciplinæ inservirent, aut ordinatis clericis traderetur officium determinatum, quod indeterminatum quodammodo ex sola ordinatione remanserat.

XXIX. Duo erant pericula quibus subjecta erat hæc disciplina : 1° Otium clericorum; 2° Mendicitas seu paupertas, nempe defectus sustentationis convenientis. Si hæc pericula avertebantur, non erat reprehendendum, si præter numerum consuetum, et indeterminatis officiis sacrorum ministrorum copia augeretur, ut sub Episcopi arbitrio Ecclesiæ utilitati vel opportunitati inservirent. Ergo Romani Pontifices et Concilia opportunum non crediderunt omnino impedire novam disciplinam quæ inducebatur, sed

solum vitiis obstare quibus potuisset esse obnoxia.

Firmato igitur principio quod servitium Ecclesiæ esset *titulus seu ratio ordinationis* clericalis, parvipenderunt an hoc servitium esset jam ante ordinationem determinatum, videlicet certum quoddam et permanens officium sacrum, aut pro Ecclesiæ necessitate et opportunitate ab Episcopo post ordinationem determinandum, dummodo congruæ clericorum sustentationi foret sufficienter provisum, unde quoad hanc partem videlicet *temporalis substentationis*, potissimum ordinationis titulum consideramus, prouti fusius diximus. Sed quilibet titulus extraneus ab officio sacro permanenti in Ecclesia constituta pro functionibus divini cultus ordinario obeundis, tanquam titulus ordinationis subsidiarius, habitus est, et illa officia tanquam ordinarii ordinationis tituli habita sunt, licet non eodem actu ordinationis, sed ante ipsam essent collata. Officium sacrum semper remansit in hoc conceptu quod sit : *officium sacris peragendis destinatum, ordini clericali respondens et ecclesiastica auctoritate determinatum in ordine ad locum, tempus, modum, personas.... ad circumstantias omnes sub quibus exercetur.*

§ II. DE SPECIEBUS.

XXX. Officia alia propria, alia impropria videlicet temporanea aut perpetua.

Temporanea quæ aut ad tempus instituuntur aut ad tempus conferuntur. Dicuntur *impropria* officia, quia non firmant positionem et occupationem personæ in societate. *Perpetua* quæ in perpetuum sunt constituta et in perpetuum conferuntur; et hæc propria officia sunt tanquam munera stabiliter constituta quæ firmant statum et occupationem clericorum.

Hæc autem perpetua officia distinguuntur,

1° Ratione *dignitatis*, alia majora, videlicet episcopalia, alia minora quæ sunt cœtera.

2° Ratione *honoris* aut *oneris* officio sacro superadditi distinguuntur :

1° In *duplicia* et *simplicia*. Duplicia vero in dignitates, personatus et officia.

2° *Parochialia* et *curata* a non parochialibus, et non curatis.

3° Ratione *relationis* quam dicunt ad alia officia : alia sunt *collegiata*, alia *non collegiata*. Collegiata quæ ordinantur ad functiones collegiatim exercendas ut canonicatus vel beneficia clericorum capitularium. Quæ vero seorsim et singillatim consistunt, ea non sunt collegiata.

4° Ratione *personarum* quæis conferuntur aut Ecclesiarum quibus adhærent, alia sunt *Regularia*, alia *sæcularia*.

CAPUT II.

DE REBUS ORDINATIS AD CHARITATEM IN SE EXERCENDAM.

I. Alterum charitatis christianæ objectum est unusquisque sibi. Ergo postquam egimus antecedenti capite de rebus ordinatis ad exercitium charitatis in Deum, hic agemus de rebus ordinatis ad exercitium charitatis in seipsum.

Jam vero charitas in semetipsum potest considerari dupliciter :

1° In iis quæ cadunt sub ordine præceptivo, videlicet necessitatis ad finem.

2° In iis quæ sunt de consilio, et relationem servant majoris convenientiæ, liberioris et facilioris viæ ad finis assecutionem.

Plures sunt in Ecclesia res ordinatæ ad exercitium charitatis in se ipsum sub utroque respectu. Sed res ordinatæ ad exercitium charitatis quæ cadit sub ordine præceptivo, non desiderant specialem tractationem, quippe quæ coincidunt cum cœteris ad vitam christianam acquirendam, perficiendam, exercendam necessariis, de quibus partim egimus, partim acturi sumus. Ergo tota tractatio convertitur ad ea quæ spectant exercitium evangelicæ perfectionis. Hæc autem essent multiplicia instrumenta mortificationum, habitus et vestes pœnitentiales et religiosæ, regulæ religiosorum ordinum, loca acquirendæ vel exercendæ perfectiori vitæ destinata.

Sed cum tractationem hanc ex parte prævenerim agendo de statu regulari, coercebo præsentem tractationem tantum ad loca quæ perfectionis aut religiosæ vitæ observantiæ patent in Ecclesia, ut dicam de illorum speciebus variis, de lege qua instituuntur, vel ædificantur, de lege qua extructa custodiuntur ut finem suæ institutionis obtineant.

I. De speciebus.

II. Quemadmodum vita regularis fuit eremitica vel cœnobitica, loca ad eam exercendam destinata fuerunt Lauræ vel cænobia, Laura dicitur solitudo in qua plures sunt diversæ cellulæ in quibus solitarii invicem sejuncti veteres vivebant Eremitæ et Anachoritæ. Cœnobium autem est domicilium, ædificium quod hominum societatem comprehenderet vivendorum in communi.

Hæc autem cœnobia variarum fuerunt specierum, et variis nominibus insignita sunt pro varia indole religiosæ communitatis quæ illa incolebat.

Cœnobium Monachorum et Monialium dictum est monasterium.

Cœnobia Mendicantium dicta sunt conventus.

Cœnobia clericorum regularium aut religiosorum piarumque sororum quæ ad similitudinem congregationum clericorum regularium erectæ sunt, vocata sunt potius domus, cum illorum vivendi ratio esset seculari statui magis affinis.

Monasteria autem fuere alia simplicia, alia duplicia.

Simplicia dicta sunt quæ pro alterutro sexu recipiendo erant destinata; duplicia quæ pro utroque sexu destinata erant.

Œconomia horum monasteriorum duplicium in eo erat quod intra idem habitaculum diversis in conclavibus separati monachi et moniales degerent, solum habentes in communi chorum et ecclesiam ita ut loco et pariete etiam divisi alterne laudes Dei et orationes persolverent. Monachi autem providebant monialibus victum a cultura agrorum suorum; moniales providebant monachos de vestibus, linteis et cæteris quæ præstat sexus muliebris; ita uterque sexus ad mutuum adjutorium in ordine ad perfectiorem vitam ordinabatur.

Sed res, licet pie sancteque fortasse instituta, non potuit lapsu temporis abusuum expers aut saltem evadere malas suspiciones et obmurmurationes populares. Unde Justinianus imperator suasu et consilio episcoporum, ut creditur, duplicia monasteria abolevit, duabus constitutionibus, videlicet constitutione quæ incipit : Sanctissimarum ecclesiarum : 44ª codicis de episcopis et clericis, et novella 123, quæ jubet ut si unum tantum adsit cœnobicum et hoc sit com-

mune, cedant monachi monialibus, alterum sibi de nova ædificent. Si plura, moniales cum monialibus, monachi cum monachis in separata monasteria congregarentur.

Sed cum hic mos nondum extirpatus esset sæculo VIII, iterum damnatus est in synodo VII generali, Nicæna II, et plura circa familiaritatem monachorum et monialium salubriter instituta ordinata sunt. Canone 20 relato in canone *definimus* 21 (c. 18, q. 2). Unde lapsu temporis hæc monasteria duplicia evanuerunt omnino, et hodie amplius non sunt; et communi sermone sive hæc habitacula sint monasteria sive conventus sive domus religiosæ, promiscuo nomine vocantur loca seu ædificia omnia perfectioris vitæ observantiæ destinata.

II. De lege erectionis.

III. Nullum potest extrui novum monasterium aut desertum reassumi nisi :

1° *Debita auctoritate :* Venia episcopi, beneplacitum sedis apostolicæ.

Excipe hospitium recipiendis regularibus iter agentibus destinatum, aut domus clericorum sæcularium viventium in communi.

2° *Consensu interesse habentium*, qui sunt finitimi regulares et parochi quibus aliquod detrimentum ex novo cœnobio potest imminere vel quoad jura parochialia, vel quoad eleemosynas quæ parant præexistentibus honestam substentationem. Quapropter solet explorari consensus et parochorum et procuratorum ordinum regularium qui intra quatuor milliaria degunt. Sed si nullum est periculum detrimenti, seria episcopi discretione potest hic consensus posthaberi.

3° *Certis redditibus* aut ex fundis stabilibus aut ex consuetis eleemosynis quæ sufficiant ut saltem duodecim regulares in iis vivere et ali et commorari possint.

Hæc omnia plus minus servantur in erectione monasteriorum monialium, cum addito quod debeant extrui in urbibus vel oppidis frequentioribus ne pateant malorum hominum incursionibus.

III. Lex qua custodiuntur.

IV. Clausura est qua prohibetur omnino ingressus mulierum in monasteria virorum, et ingressus virorum et fœminarum cujusvis generis et ætatis in illa monialium, illarumque egressum e suis monasteriis.

Hæc clausuræ lex in iis monasteriis ubi viget, locum ipsum materialem afficit ita ut ipse locus parietibus inclusus vocetur clausura. Hic locus in monasteriis virorum comprehendit etiam primum claustrum quod ducit ad interius habitaculum monachorum seu regularium, dummodo aliud non sit mulieribus invium, et etiam sacrarium ecclesiarum, si ad illud pateat aditus per solum claustrum clausuræ subjectum. Si vero solum per ecclesiam patebit aditus aut per utrumque, subjectum non est clausuræ legi saltem secundum consuetudinem vigentem. In monasteriis monialium clausura est omnis ille locus in quem monialibus licet ingredi ex. gr. officinæ, hortus, arenæ et totus ambitus muro cinctus.

CAPUT III.

DE REBUS ORDINATIS AD EXERCENDAM CHARITATEM IN PROXIMUM.

I. Tertium charitatis christianæ objectum est proximus noster, quem tanquam nos ipsos amare debemus.

Proximus autem noster dicitur quilibet ejusdem finis consequendi potis est. Hic autem potest esse aut in præsenti aut in altera vita, nam mors christiana a fine nostro ultimo non avertit, immo facit ut ad eum obtinendum accedamus : quandiu enim sumus in corpore, peregrinamur a Domino, II Corinth. v, 8. per fidem enim ambulamus et non per speciem ; unde audemus et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore et præsentes esse ad Dominum. Cum ergo mors christiana charitatis vincula non solvat, inde exercitium charitatis in proximum potest quoad vivos et quoad mortuos considerari, unde in dua capitula præsens tractatio dividitur.

ARTICULUS PRIMUS.

De rebus ordinatis ad charitatem in vivos exercendam.

Salvatoris sententia edocta Ecclesia : *Ex hoc cognoscent omnes quod discipuli mei eritis si charitatem habueritis ad invicem*, incredibile est quanto studio charitatis et beneficientiæ, studium in proximum nostrum promoverit et opera misericordiæ tum corporalis tum spiritualis ad proximum nostrum juvandum. Inter cætera instituta duo emicuerunt quæ specialem tractationem desiderant videlicet :

1° Instituta beneficientiæ in pauperes.

2° Instituta litterariæ, scientificæ et religiosæ disciplinæ pro christiana et ecclesiastica adolescentium educatione.

§ I. DE INSTITUTIS BENEFICIENTIÆ.

II. Magna semper fuit Ecclesiæ cura fovendorum et recreandorum pauperum et omnium qui aliena ope indigerent ; et in ipso quidem christianæ religionis

initio fideles honorum pretium apostolis offerebant ut illud inter pauperes distribuerent; et scimus quod occasio eligendi diaconos fuerit ne dispicerentur in ministerio quotidiano viduæ Græcorum.

Successu temporum, etiam sub epoca persecutionum, episcopi nunquam destiterunt ut per manus diaconorum partem oblationum in usus pauperum converterent. Vita S. Laurentii martyris invictum rei dat exemplum.

Sed reddita Ecclesiæ pace hoc charitatis studium quod semper effervit in Ecclesia, in peculiaria prodiit instituta pro juvandis et beneficandis pauperibus. Horum præcipua fuerunt :

1° Hospitalia.

2° Montes pietatis.

I. De hospitalibus.

III. Horum indicabo 1° notionem, 2° species, 3° leges administrationis.

1° *De Notione.* — Optimus visus est modus providendi stabiliter indigentiis pauperum, si in unum quodammodo collegium colligarentur quod communi domo ad instar communitatum ecclesiasticarum gubernaretur. Domus ad hunc finem extructæ dictæ sunt hospitalia : proinde hospitalis nomine non intelligimus hic juxta vocis etymon locum recipiendis hospitibus destinatum, sed domus omnes colligendis et juvandis pauperibus destinatas.

2° *De Speciebus.* — Species distinguuntur sive ratione auctoritatis qua fundatæ sunt, sive ratione pauperum quibus recipiendis destinantur.

Alia enim ecclesiasticæ auctoritatis interventu, vel de Ecclesiæ redditibus vel de aliis piis oblationibus

sunt extructa : hæc dicta sunt *ecclesiastica*. Alia vero privatorum zelo sine ullo ecclesiasticæ auctoritatis interventu sunt erecta : ea dicta sunt *laicalia*.

Non omnia autem pro omnis generis indigentibus recipiendis destinata sunt; sed fundatorum devotione et pro pauperum utilitate variis speciebus pauperum recipiendis singula sunt ordinata.

Ptochotrophia, pauperum domicilia, quæ :

1° Brephotrophia, pro infantibus ;

2° Orphanotrophia, pro orphanis ;

3° Conservatorii, pro virginibus ;

4° Hospitalia viduarum, pro viduis ;

5° Gerontocomia, aut Gerontòtrophia, pro senibus.

Nosocomia pro ægrotantibus, quæ :

1° Manicomia, pro furiosis ;

2° Leprosoria, pro leprosis ;

3° Valetudinaria, pro convalescentibus.

Xenodochia, pro hospitibus et peregrinis.

Purgatoria pro facinorosis.

3° *De legibus administrationis*. — Cum finis qui informat omnes ecclesiasticas institutiones sit animarum salus, ad hunc etiam hospitalium institutio directa est ut una cum temporalibus subsidiis, spiritualia etiam solatia in pauperes impenderentur. Proinde administratio hospitalium non tantum quoad partem temporalem sed et quoad aspectum spiritualem considerari potest. Sub utroque considerabimus.

Spiritualis administratio hospitalium, ut ipsius rei natura postulare videtur, nullo non tempore fuit episcoporum propria, quorum diœcesibus hospitalia erant erecta. Hi vero ope inferiorum sacerdotum et clericorum hoc officio functi sunt.

Temporalis autem administratio varia fuit et diversa

in hospitalibus ecclesiasticis et laicalibus. Hospitalium enim laicalium administratio ab iis personis gesta est quæ ad id muneris, juxta fundationis tabulas, erant vocatæ, servato solum aliquo interventu et vigilantia episcopalis auctoritatis sive ex civilibus imperatorum præsertim Justiniani constitutionibus, sive canonicis sanctionibus. Est enim episcopus exequutor natus omnium piarum voluntatum suæ diœcesis, est moderator natus exercitii charitatis christianæ in sua Ecclesia.

At vero ubi hospitalia fuerunt ecclesiastica sive quia erant derivationes peculii ecclesiastici, sive quia ecclesiastica auctoritate fundata speciali quodammodo habita sunt, tanquam ecclesiastica instituta et sub episcoporum diæcesanorum administratione posita sunt. Ea vero functi sunt idoneis præpositis rectoribus, qui totius administrationis curam gererent, qui de gremio capitulorum aut monasteriorum eligebantur, si quando hospitale, ut moris erat, prope ecclesias vel cathedrales aut conventuales erat extructum.

Nec semel factum est ut apprehensa peculii temporalis, reddituum temporalium administratio tanquam quid connexum eum spirituali moderatione hospitalis, ex utroque conflatum sit unum officium ecclesiasticum, seu hospitalia erecta sint velut beneficia, quorum titulo clerici ordinarentur.

Quod vero pertinet ad inferiores hospitalium administros, illi præsertim inter eos qui curæ infirmorum destinabantur, juxta Ecclesiæ intentionem, debebant esse clericali tonsura insigniti, et agere debebant regularem vitam ecclesiasticam, unde factum est quod in multis hospitalibus introducta sit quædam regula ad instar monachorum, post XII sæculum ex. gr. or-

dines militares; immo et ordines religiosi apparuerint speciali modo dediti curæ infirmorum, qui vel nova sibi hospitalia erexerunt, vel veterum hic illic curam susceperunt.

Sed tanta quæ erat primitivo jure auctoritas episcoporum circa temporalem etiam administrationem hospitalium, tractu temporis imminuta est sive ratione exemptionum quas hic illic hospitalium rectores sibi comparaverunt, sive etiam ex eo quod hospitalia erecta in titulum et beneficium, collata in singularem administrationem clerici beneficiati, visa sunt quodammodo substracta ab oculis seu administratione episcoporum. Immo sæculo XIV hospitalium præfecti sive clerici, sive laici paulatim ita excutere visi sunt episcopalem vigilantiam, ut episcopis remotis, locorum piorum bona in suos usus liberius impenderint.

Huic malo occurrens concilium Viennense decrevit anno 1311 quod nulla obstante exemptione patrimonium hospitalium ad suum primitivum usum reduceretur, nec amplius tanquam beneficia et tituli ecclesiastici conferrentur; sed illorum administratio idoneis viris concederetur, qui ad instar tutorum et curatorum juramentum præstare, inventorium conficere et ordinariis quotannis rationem reddere tenerentur, vel aliis quibus de jure competeret, exceptis tantum hospitalibus ordinum religiosorum. Inquirentes in administrationem, qui rectam illam non agnovissent, possunt in sibi subjectos non bene administrantes auctoritate propria, in exemptos delegata Pontificis auctoritate procedere, locaque ipsa reformare.

V. Concilium Tridentinum, renovato concilii Vien-

nensis decreto, plura in eamdem rem decreta edidit et præsertim statuit,

1° Ut exceptis hospitalibus quæ sub regum protectione sunt, quibusque regia protectio in limine fundationis accessit, cætera hospitalia, omnisque generis loca pia visitationi episcopi subessent in iis omnibus quæ Dei cultum, animarum salutem et peculiare opus loci pii respiciunt, licet a laicis gubernentur.

2° Ut eidem episcopo tum in visitatione tum extra eam, justa occurrente causa, ratio administrationis quotannis redderetur; quod si consuetudine, privilegio, aut loci statuto rationes aliis reddendæ sunt, tunc etiam ordinarius cum iis adhiberetur, aliter redditio rationis nihil valeret.

3° Ut episcopi possent coercere delinquentes, suisque legibus abusus tollere et bonum promovere, ita tamen ut sinant loca ipsa juxta leges fundationis et legitimas consuetudines administrandi, facta etiam potestate episcopis redditus certæ speciei pauperum, quos hodie ignoramus, veluti peregrinis et leprosis ad alia pia opera applicandi. Sess. 25, c. 8, sess. 28, c. 8-9.

Juxta hujusmodi decreta distinguuntur hodie tres species personarum hospitalibus addictæ. Sunt autem :

1° *Administratores* qui œconomiæ hospitalium præsunt sive ipsi clerici aut laici, regulares aut sæculares sint (dummodo aut lex fundationis, aut singulare privilegium non obsit) sub auctoritate aut vigilantia episcopi. Sed variis in regnis, pro spiritu præsentis legislationis civilis, hæc loca sunt omnino substracta a vigilantia episcopi et posita sub vigilantia sæcularis potestatis.

2° *Clerici* sive *capellani* qui juvant in spiritalibus,

et a sacris præsunt pauperibus in hospitali collectis. Hi etiam, vel sæculares vel regulares, sunt semper in exercitio spirituali sui episcopo subjecti, exceptis singularibus privilegiis.

3° *Ministri* seu *inservientes* qui ad placitum administratorum communiter assumuntur e statu laicali, sed ex utroque sexu tum sæculari, tum regulari; ex. gr., Fratres S. Joannis de Deo, sorores charitatis S Vencentii de Paulis.

II. De montibus pietatis.

VI. Hospitalibus antiquiora sunt alia pia opera charitatis quibus pauperum inopiæ succurritur, quin pauperes in unum collegium colligantur. Hujus generis erant loculi quos Christus Dominus habuit et quos apostoli administrare perrexerunt: nimirum quidam rerum fungibilium et præsertim pecuniæ cumulus quæ in pauperes pro singulorum indigentia tribuuntur. Hujus generis erant veteres diaconiæ seu loca-diaconica in Ecclesia in qua oblationes fidelium collectæ conservabantur et per Diaconos jussu Antistitum pauperibus erogabantur.

Posteriore ætate loca hæc diaconia non adeo frequentia fuerunt ita ut tractu temporis vix aut ne vix quidem superfuerint; sed iis alia successerunt tanquam æraria et deposita pecuniarum et oblationum in pauperum usus erogandarum. Inter hæc singulare locum occuparunt ea instituta charitatis et beneficentiæ quæ dicuntur *Montes Pietatis* de quibus hodie agemus inquirendo : 1° notionem; 2° species; 3° leges quibus reguntur.

1° *De notione.* Mons pietatis est collecta pecunia mutuo danda pauperibus indigentibus statis legibus

statoque tempore restituenda. Institui cœperunt circa medium sæculum xv.

Mens institutionis fuit ut occurreretur usuris quas pauperes mutuum petentes pro suis necessitatibus fœneratoribus solvere cogebantur.

Adversus hanc institutionem tanquam illicitam et usurariam scripserunt quidam. Sed à Pontificibus et præsertim à Leone X, in conc. Later. V et a PP. Tridentinis sess. 22 de reform. c. 8, probata est et confirmata.

2° *Species.* Pro diversitate pecuniæ unde constant et quæ mutuo datur, et pro diversitate modi quo mutuo datur et restituitur, distinguuntur.

1° Alia consistunt in numerata pecunia, tanquam publica æraria, alia in cumulo frumenti tanquam publica horrea.

2° Alia pecuniam et frumentum gratis omnino pauperibus distribuunt adeo ut debitores nil ultra sortem restituere teneantur. Alia species est eorum ubi pecunia vel frumentum ex lege distribuitur ut ultra sortem aliquid aliud reddant debitores, seu mutuatarii pro ministrorum stipendiis, pro ædium conductione, et pro cæteris necessariis sumptibus instituti seu loci pii.

VII. 3° *Leges quibus reguntur.* — 1° Mutuum datur solum usque ad certam quantitatem ut non locupletibus sed egenis inserviat. Unde si petatur ultra determinatam quantitatem, necessaria est Episcopi ejusque generalis vicarii, aut alterius qui monti præest licentia, quæ danda non est ubi quid ex ea detrimenti cæteris pauperibus possit obvenire.

2° Mutuatarii dare debent pignus a Montis ministris custodiendum pro cautione mutuatæ pæcuniæ. Pig-

nus sic depositum servatur donec adveniat dies restitutionis, qua adveniente, aut mutuum restituitur, et pignus redimitur, aut mutuum non restituitur, et pignus venumdatur quanti plurimi per publicam auctionem, ut ex ejus pretio Mons sacer sortem suam recuperet, reliquum vero, si quod est, reddatur mutuatariis. Hic vero si leges fundationis Montis Pietatis illæ sint quibus mutuum gratis omnino concedatur, ut nil præter sortem reddendum sit, sola sufficit restitutio sortis acceptæ si pignus sit redimendum, et nil præter sortem detrahitur ex pretio pignoris divenditi: quod superest ex integro restituitur mutuatariis.

Si vero aliquid præter sortem restituendum sit, tunc sola restitutio sortis non sufficit pro pignoris sedemptione, et aliquid ultra sortem desumitur pro montis indemnitate ex pignoris venditione. Ne autem plus æquo præter sortem exigatur, videlicet plus quam necessarium sit ad sacri montis compensationem, pluries sacra concilii congregatio declaravit ne ultra quam terna aut quaterna pro quolibet centenario exigeretur. Immo statui nequit ut aliquid ultra sortem exigatur aut plus exigatur quam antea consuevit, nisi prius consulta sede apostolica. (De Synod. lib. 10, c. 5, § 1.)

3° Ne demum a depositariis et ministris sacri Montis, vel a mutuatariis cum detrimento loci pii fraudes committantur, plura salubriter sunt instituta pro indemnitate sacrorum Montium pietatis servanda, et severissimis pœnis delinquentes puniuntur, de quibus agit constitutio : *Jamdudum*, Benedicti XIII, et de quibus foret agendum in tractatu speciali.

§ II. DE INSTITUTIS LITTERARIÆ, SCIENTIFICÆ ET RELIGIOSÆ EDUCATIONIS.

VIII Quandoquidem præstantissimum Ecclesiæ munus, munus docendi est; nullum fuit misericordiæ opus magis proprium charitatis Ecclesiæ quam veritatis magisterium. Est autem hoc magisterium pars quædam connaturalis pastoralis sollicitudinis in Ecclesia. Ergo quot ab Ecclesia condita fuerunt Episcopi qui dependentes a supremo Pontifice gubernarunt gregem Dei, tot fuerunt magistri qui dependentes a magistro supremo singuli in ordine suo hujusmodi magisterio functi sunt.

Sed hoc magisterium primis Ecclesiæ sæculis in uno quodammodo prædicationis munere exercebatur; nec enim aliud sinebant circumstantiæ nascentis Ecclesiæ inter teterrimas persequutiones. Sed vix ac, Deo dante, pax restituta est, liberius exercitium potuit obtinere illaque proponere et promovere instituta quibus piæ doctæque christiani populi institutioni provideretur.

Jam vero nil magis huic fini erat necessarium quam ut adolescentium educatio, præsertim vero eorum qui ad statum ecclesiasticum vocabantur, reformaretur, ne sub influxu paganæ superstitionis litteras et scientias addiscerent, sed sub principiis christianæ religionis; ita bonarum artium, scientiarumque notitia tota in bonum religionis, et ultimi finis conspiraret. Ergo jam tum ab antiquissimis temporibus plura reperire est in ecclesiastica historia instituta quæ huic piæ doctæque juvenum educationi præsertim vero ecclesiasticorum insudarunt.

Fuerunt autem : 1° Scholæ monasteriorum et capitulorum ; 2° Academiæ seu Universitates ; 3° Collegia;

4° Seminaria. Hisce forent annumeranda instituta pro institutione puellarum, qualia sunt conservatoria, vel loca educandarum earumdem; sed brevitatis gratia illa omittam, et solum illas quatuor prædictas institutiones per ordinem temporum indicabo.

I. Scholæ capitulorum.

IX. Certas scholas olim fuisse in cathedralibus præsertim ecclesiis, ecclesiastica antiquitas docet. Instituebantur in iis clerici juniores in divinis litteris, in bonis artibus, quæ divinarum litterarum scientiam promovent et juvant, item in iis sine quibus disciplina ecclesiastica consistere minime poterat. Exemplo cathedralium, scholæ quoque institutæ æquabiliter fuerunt in collegiatis, immo et in simplicibus quibusdam ecclesiis quibus certus clericorum numerus adscriptus esset.

Ergo præter scholas bonarum artium, seu grammaticæ, rhetoricæ et computorum ecclesiasticorum, erant quoque scholæ theologorum, item scholæ notariorum, centorum et diaconorum. Qui scholæ bonarum artium præerat, is *scholasticus* appellabatur, qui theologiæ tradendæ addictus erat, *theologus* dictus est. Scholæ centorum præerat centor, vel distincto officio in duas partes videlicet præcentoriam vel succinctoriam, *præcentor* qui dirigeret psallentes, et *succentor* qui, respondentes. Scholæ notariorum *primicerius*: Officium notariorum erat memoriæ tradere acta conciliorum, martyrum et confessorum, conscribere libros, rituales, missales, antiphonarios, cœterosque ad usus psallentium. Denique scholæ diaconorum qui præerant temporali administrationi ecclesiarum, præsidebat *Archidiaconus*.

Hujus modi institutum conjunctum cum instituto vitæ communis receptæ in clero, præbet aliquam ideam primitivam collegiorum et seminariorum de quibus postea loquemur.

Præbet etiam significatum nonnullorum officiorum et dignitatum seu personatuum quæ in capitulis deprehenduntur, juxta suam nativam institutionem.

Præterea et Monasteria Benedictini ordinis scholas passim habuerunt in quibus pueri erudiebantur; verum aliæ erant scholæ exteriores et canonicæ quæ patebant clericis sæcularibus ; aliæ interiores seu claustrales in quibus Monachi et pueri monasterio oblati servabantur. In his sæcularibus clericis nullus erat locus.

II. Universitates.

X. Sed cum barbaria sæculi x magna ex parte vastatæ essent hujusmodi scholæ, quæ adjacebant sive cathedralibus sive monasteriis, maximus studiorum causa concursus factus est in eas civitates in quibus cum optimi magistri, tum plurimæ æque diversissimæ scientiæ florerent.

Ex humilibus scholis capitularibus et monasticis duo celeberrima gymnasia studiorum orta sunt sub initiis restaurationis bonarum artium et scientiarum sæculo xii. Fuerunt autem Bononiense et Parisiense atheneum. Alterum jurisprudentiæ tum civilis, tum canonicæ, alterum theologiæ scholasticæ studiis primitus addictum; lapsu temporis ad alias sive bonarum artium sive scientiarum disciplinas sese extendit, donec utrumque velut omnigene eruditionis emporium extiterit. Hæc fuerunt causa quare scholæ capitulares et monasticæ quæ ob anteactorum sæculorum

barbariam magna ex parte devastatæ fuerant, elanguerint omnino. Nam tanta fuit fama illarum duarum academiarum, ut cæteræ scholæ quodammodo obscuratæ fuerint, sine nomine jacuerint et desertæ, confugentibus studiosis omnibus vel Bononiam vel Lutetiam Parisiorum, ut ibi vel bonas artes, vel scientias valerent ediscere.

Primo igitur hujusmodi universitates pontificiis indultis redditæ sunt exemptæ a singulorum episcoporum jurisdictione tanquam corpora exempta, illisque collatus est ecclesiasticus magistratus in singula corporis membra cujuslibet diœcesis vel nationis essent. Ut autem hæc jurisdictio facile geri posset, hæc fuit interior horum corporum moralium dispositio :

Bononiæ distinguebantur discipuli exteri secundum nationes in totidem collegia; hæc autem conjungebantur in duo collegia ampliora, quorum unum comprehenderet omnes discipulos ultramontanos, alia vero omnes citramontanos : unumquodque ex his collegiis duobus gubernabantur a *rectoribus* a se electis. Non absimili modo etiam Parisiis recepta est divisio in nationes, ita tamen ut quælibet natio comprehenderet simul sive magistros, sive discipulos; sed magistri solum ad comitia vocabantur, ubi de aliqua re deliberandum foret. Sed a sæculo ineunte XIII recepta fuit distinctio in quatuor nationes, videlicet Gallicam, Britannicam seu Germanicam, Picardam, Normannam. Singulis nationibus præerant singuli *procuratores;* quatuor procuratores eligebant *rectorem* universitatis.

Similiter in bonum scientiarum, hisce universitatibus indulgerunt facultatem docendi per totum orbem christianum iis alumnis qui in iisdem universitatibus

probati doctoresque facti essent. Inde variæ apparuerunt *laureæ doctorales* pro variis facultatibus quas collegia doctorum decurialium singularum facultatum conferebant. Ne autem hæ laureæ doctorales, quæ in tanta erant æstimatione, præsertim theologiæ et canonicæ jurisprudentiæ, pro rebus ecclesiasticis propenderentur indignis, obtinuit ut nonnisi post quoddam determinatum annorum tyrocinium, et nonnisi per varios gradus academicos, videlicet *baccalaureatus*, *licentiatus* et *magisterii* seu *doctoratus*, in singulis repetito et severiori examine concederetur.

Hæc omnia plus minus etiam sequentibus sæculis servata sunt; sed aucto doctorum numero et profusis nimia prodigalitate laureis, viluerunt, et inde non amplius tanta illis responderunt privilegia.

Reges etiam universitatibus singulare et peculiare præsidium, potestatem delegatam et exemptionem ab oneribus publicis, indulserunt; unde *conservatores* horum privilegiorum vel regiorum vel apostolicorum habuerunt.

III. Collegia.

XI. Sed tanta universitatum fama, institutione plurimarum aliarum universitatum ad imitationem illarum, decrevit quam maxime; multo magis institutione collegiorum.

Dicta fuerunt collegia communitates vel hospitia religiosorum qui litterarum causa adibant academias publicas, seu universitates studiorum ut a cæteris secularibus discipulis manerent separati in convictu. Postea similia sunt instituta in gratiam pauperum qui ipsi semel extra patriam sustentari non poterant, et pleraque certarum diœcesium alumnis recipiendis dicata sunt. Cujusque collegii alumni communi victu

utebantur, et communi præside studiorum et morum moderatore; sed discendi causa publica auditoria frequentabant. Pedetentim in ipsis collegiis doceri cœptum est; ita multiplicata et variis in locis extructa habuerunt publica gymnasia pro liberalibus artibus, et philosophicis vel theologicis studiis tradendis singula pro sua institutione quin foret necessarium adire publicas universitates.

IV. Seminaria.

XII. Institutis ita pluribus universitatibus et collegiis quæ tanta fama et laude sive scientias sive bonas artes tradebant, adamaverunt plures ecclesiarum prælati ut clerici juniores ad academias et gymnasia publica mitterentur. Selectorum antecessorum doctrina, plurium eo convenientium æmulatio, commoda ædium in id extructarum eosdem prælatos commoverunt ut id consilii caperent: unde omne opus institutionis theologiæ et canonicæ in doctores academicos et inferiorum studiorum in præceptores collegiorum devolverunt. Unde in pluribus ecclesiis nuda remanserunt nomina centorum, primiceriorum, scholasticorum et theologorum, videlicet sine docendi officio.

Sed licet universitates et collegia litterarum studium facilius reddiderint, scientiasque provexerint, disciplina tamen et mores clericorum deteriores sunt redditi. In tanto enim juvenum confluxu ab extraneis magistris non sic in officio potuerunt contineri clerici sicut a primicerio, archidiacono sub oculis episcoporum.

Interim clerici in academiis viventes erant sine functione, degebant in cœtu laicorum scholasticorum, unde laicorum mores imbiberunt.

Hoc intuens Ecclesia curavit ut iterum clerici a

laicis segregarentur institutione seminariorum. Videlicet PP. Tridentini e re ecclesiastica esse judicarunt si mandarent episcopis universis, ut juniores clericos in collegium quoddam redigerent in pietate cultuque bonarum artium ac præsertim divinarum litterarum educandos. Hoc collegium vocatum est *seminarium* : sicut enim arbusculæ in seminario educantur, unde postmodum transplantantur quocumque opus videtur, ita dictus est ille locus, qui erectus est ad præparandos illos qui deinde sacerdotes optimi, et animarum pastores et duces futuri essent. Ut hoc piissimum opus institueretur vel restitueretur et paupertati clericorum illuc convenientium succurreretur et omnia recte procederent secundum finem institutionis, plura decrevit conc. Trident. sess. 23 de ref. c. 18.

Si singula seminaria pro singulis cathedralibus ecclesiis non sufficiant, facultas data est episcopis ut in ecclesiis amplas diœceses habentibus, plura etiam prout sibi opportunum videbitur, habeant seminaria quæ tamen (pro unitate regiminis et administrationis) ab illo uno quod in civitate erectum et constitutum fuerit, in omnibus dependeat.

Cum autem nonnulli episcopi tardiores fuissent in exequendo hujusmodi decreta Tridentina, sive Benedictus XIII constitut. *Credite nobis*, sive Benedictus XIV constitut. *Ubi primum* omni opere curarunt ut hujusmodi seminaria per Italiam insulasque adjacentes, si non instituta erant, institueretur, si instituta sed indiguissent ampliatione, amplificarentur. Immo Benedictus XIII ad quamlibet moram tollendam voluit ut institueretur quædam congregatio S. Romanæ Ecclesiæ cardinalium, dicta seminariorum quæ citissime seminariorum fundationi advigilaret.

XIII. Bases autem supra quas erigi debent seminaria hæ fuerunt ab ipso Tridentino designatæ :

1° Circa delectum puerorum admittendorum voluit ut non reciperentur nisi qui ad minimum duodecim annos haberent et ex legitimo matrimonio nati essent, et legere et scribere competenter noverint, et quorum indoles et voluntas spem afferret eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo deservituros. Pauperum autem filii præcipue eligerentur, nec tamen ditiorum excluderentur modo suo sumptu alerentur et studium præseferrent Deo et Ecclesiæ inserviendi.

2° Quoad alumnorum incessum, habitum, studia et integram hujus collegii disciplinam sancivit : ut in tot classes deviderentur quot episcopo videbitur, juxta illorum numerum, ætatem et in disciplina ecclesiastica progressum... tonsura statim et habitu clericali semper uterentur, grammaticos, cantus (Gregoriani videlicet ut declaravit Benedictus XIII cit. loc.), computi ecclesiastici, aliarumque bonarum artium (tantum uti declaravit idem ibid.) disciplina erudirentur : S. Scripturam, libros ecclesiasticos, homilias sanctorum et sacramentorum tradendorum, maxime quæ ad confessiones audiendas videbuntur opportuna et rituum et cæremoniarum formas ediscerent.

Singulis diebus sacrificio interessent, et saltem singulis mensibus confiterentur peccata, et juxta confessoris judicium sumant corpus D. N. J. C. Cathedrali et aliis loci ecclesiis diebus festis inserviant... Discoli autem et incorrigibiles et malorum morum seminatores acriter punirentur, eos etiam, si opus fuerit, expellendo ut omnia impedimenta ad conservandum et augendum tam pium et sanctum institutum removeantur.

XIV. Quoad dotationem seminariorum facultas ab eodem concilio facta est episcopis detrahendi aliquam portionem fructuum prius a mensa episcopali, tum a præbendis capituli et quarumcumque dignitatum et beneficiorum etiam si regularia sint et patronata. Hæc detractio appellatur *Taxa* quæ in constitut. Benedicti XIII sup. cit. nequit esse minor scutis tribus nec major quinque pro quolibet centenario.

Quod si hæc taxa non sufficiat, potest episcopus unire seminariis beneficia aliquot simplicia cujuscumque dignitatis et qualitatis fuerint... etiam ante vacationem sine cultus divini et illa obtinentium præjudicio, quod locum habeat etiamsi beneficia sint reservata et affecta ; solum cavere debet episcopus ne lædat jura sedis apostolicæ per hujusmodi uniones, de qua re legatur Benedictus XIV de Synod. lib. III, cap. VII.

XV. Quoad moderamen et regimen sive interioris disciplinæ seminariorum, sive temporalis administrationis eorumdem, hæc statuit :

Quoad *primum caput* debet episcopus in suos consiliarios assumere duos canonicos seniores et graviores. Horum consilium adhibendum est in universalibus regulis constituendis, in electione loci, rectoris, magistrorum, confessariorum eorumque expulsione, in electione singulorum puerorum admittendorum, discolorum punitione, in electione librorum, et visitationibus. Hi autem semel ab episcopo electi non possunt amoveri sine legitima causa. Illorum autem consilium episcopus tenetur audire, non tenetur sequi. Ita ad tramitem concilii Tridentini pluries definivit concilii Tridentini congregatio uti videre est apud Giraldum et Benedictum XIV de synodo.

Pro *temporalium administratione* habere debet alios quatuor deputatos ex quibus duo sunt eligendi inter capitulares, unus ab episcopo alter a capitulo : duo inter civitatis clerum, et quidem alter ab episcopo, alter a clero urbano. Horum consilio uti debet circa taxationem contributionis, circa beneficiorum unionem, in ministrorum deputatione et expulsione, in quotidianis expensis et victualium provisionibus, in ineundis contractibus et litibus suscipiendis, et præsertim in exigenda administrationis ratione, quæ singulis annis est ab administratoribus omnino reddenda.

Hi deputati pariter perpetui sunt, et non possent removeri sine legitima causa; eorum tamen consilium episcopus tenetur adhibere, non sequi. Ita pluries S. Congregatio concilii apud Giraldum et Benedictum XIV, de Synod.

ARTICULUS II.

De rebus ordinatis ad exercendam charitatem erga mortuos.

XVI. Dogma fidei est, quod sicut homo in duplici substantia, altera spirituali, videlicet anima, altera materiali seu corporea coalescit, ita mors hominis concipiatur tanquam hujus hypostasis resolutio, per quam corpus redeat ad terram, de qua sumptus est, spiritus autem ad Deum, qui creavit illum. Sed spiritus humanus naturali vi rediens ad Deum, ut unde suam immediatam habuit originem ibi inveniat suum ultimum finem, æternam beatitudinem.

Non semper hujus ultimi finis particeps fit; sed præsentari debet ante tribunal Christi ut ferat propria

corporis, prout gessit sive bonum sive malum. Porro in hac districtione judicii potest spiritus hominis in duplici statu reperiri, videlicet in statu charitatis aut non. Si quidem in statu charitatis non reperiatur, voluntas illius a Deo aversa non potest Dei societate frui, proinde a fruitione Dei remanet exclusa, et acerrimis pœnis pro Dei justitia, juxta debitorum qualitatem et quantitatem mulctatur. Et cum voluntas illius in statu termini reperiatur, nec proinde amplius in diversa possit mutari, non habet amplius pœnitentiæ locum; et cum non possit removere obstaculum quod habet in se perpetuam suæ punitionis rationem, status punitionis perpetuus perseverat.

Si vero spiritus hominis in sanctitate et justitia et charitate reperiatur, sui ultimi finis certo consors erit particeps; est enim et ipse in statu termini et a charitate amplius deficere non potest; sed non tamen immediate ad illius fonctionem admittetur. Cum enim restituta justitia et sanctitate per sacramentum pœnitentia, et proinde demissa culpa et pœna æterna, aliqua pœna temporalis luenda remanet : et sine amissione status charitatis frequenter homines pro sua infirmitate in varios defectus seu venialia peccata incurrunt, queis certo coram vindice justitia Dei aliqua pœna temporalis respondeat; si excipiamus hypothesim illius qui plene purgatus decedat, qui videlicet aut post receptum baptismum nullum peccatum admiserit, aut pœnæ temporali vel post remissionem peccatorum superstitem, aut venialibus respondentem satisfecerit, qui potuit immediate suo fine ultimo potiri, cæteri debent justitiæ divinæ promeritas pœnas; quapropter in purgatorio velut temporaneo quodam carcere detinentur, ubi et a fidelium cum

Christo regnantium orationibus, et a fidelium in terra militantium suffragiis juvari possunt, donec perfecte purgati ad æternam Dei fruitionem admittantur.

Mortua autem hominum corpora, licet in pulverem et terram resoluta, credit Ecclesia omnipotenti Dei virtute, instante ultimo et generali Dei judicio iterum vivificanda : quo facto per mortem resolutæ hominum hypostases iterum restituentur : animæ enim suis corporibus conjungentur et de animæ gloria vel pœna pro sua conditione participabunt, ut sicut integræ personæ fuit proprium meritum aut demeritum, ita et integræ personæ propria fiat aut gloria aut pœna.

Porro pia Mater Ecclesia, quæ omnem curam impendit ut sacramentis fideles suos quoad vivunt, sanctificet, in piis orationibus morientes adjuvet, si qui sunt qui in sui communione et pace moriuntur, optimo jure præsumuntur in statu charitatis in osculo pacis Domini decedere ; proinde non intermittit suas curas post illorum transitum, sed funera, exequias, suffragia parat ut defunctis animabus filiorum suorum gloriam sollicitura procuret : tumulos seu sepulcra parat ut illorum corpora custodiat, quæ sperat in fine mundi ad gloriam esse resurrectura. Ergo capitulum hoc sua sponte dividetur in duos paragraphos.

§ I. DE EXEQUIIS MORTUORUM.

XVII. Itaque vix ac tempus elapsum sit sufficiens quo de vera morte nullum dubium esse possit, instruitur solemnis comitatus clericorum ad quem hodie advocantur etiam frates Mendicantes et confraternitates laicorum, qui deferat cadaver ad Ecclesiam ubi debet tumulari. Huic pompæ funebri, quæ de jure publico quodammodo est et nunquam negligitur (et

nemo potest illi renuntiare, licet majori vel minori solemnitate peragatur) *parochus præest.*

Est enim quoddam officium paternæ sollicitudinis in Ecclesia, et ille qui defunctum christianum genuit per baptismum, sacramentis enutrivit, illius spiritualem curam gessit dum viverit, adjuvit morientem, ille ipse hæc ultima officia rependet in mortuum.

Hic itaque cadaver e domo eductum aqua lustrali aspersit et psalmodiam inchoat, et vias indicit per quos asportetur cadaver. Ita inter cereos accensos et inter cantum psalmorum pœnitentialium defertur cadaver ad Ecclesiam ubi sepeliendum sit.

Hæc sacra cæremonia lætitia simul et tristitia mixta est : lætitia ob dogma felicis æternitatis, quæ manet christianos; tristitia ob alterum dogma purgatorii, quod pariter ordinarie loquendo manet omnes antequam ad felicem æternitatem admittantur. Ob primam rationem Ecclesia jamdudum a primis sæculis interdixit ploratus, luctus, funerea carmina aliasque cæremonias paganas, eis substituit cantum psalmorum, cœreos accensos, etc. Monumenta videas apud Pontium (antiquit. juris. can.).

Ex alio capite, si demamus casum puerorum, qui antequam perdere possint statum baptismatis, decedunt, quorum corporum gestatio omnino lætitiam sapit, quodam luctu replentur functiones funerales in Ecclesia : leguntur psalmi, sed pœnitentiales, qui veniam implorent : canitur sed flebili cantu ; ministri sacri ornantur nigris amictibus.

Delatum cadaver ad Ecclesiam sub illius ingressu iterum lustrali aqua aspergitur : inde per noctem circa illum solebant recitari psalmi et hymni, donec mane pro mortuo sacrificium offerretur, infra cujus actionem

solebant plures fieri oblationes ab hæredibus vel cognatis defuncti, quæ cedebant in commodum ecclesiæ, quæ curam funeris et tumuli gerebat. (Secundum vetustissimam administrationem peculii ecclesiastici, ex eis detrahebatur *quarta pars* pro Episcopo in signum generalis administrationis quam Episcopus habet omnium ecclesiarum suæ diæceseos.) Hodie loco psalmorum et hymnorum qui sub nocte recitabantur circa cadaver, successit *officium defunctorum.* Post hoc hodie celebrari solet sacrificium missæ; sed oblationes exoleverunt, seu melius transierunt in consuetudinem Ecclesiæ tumulanti quasdam pecuniarias præstationes subministrandi ad certam summam taxatas.

Cum Ecclesia tumulatrix esset parochialis, illæ ex integro redibant in favorem parochorum; sed concesso tumulandi jure Ecclesiis non parochialibus, ne damnum immineret juribus parochialibus, statutum est ut quædam determinata pars detraheretur ex integris hisce præstationibus, quæ tanquam pars legitima cederet in favorem parochi. Hæc forte ex eo quod quarta omnium esset, vocata est *quarta funeralis, funeraria, parochialis, canonica.* Sed hodie remansit nomen, res autem non ita respondet ut sit semper quarta pars, sed aliquando tertia, dimidia. Monumenta vetustæ disciplinæ videas apud Pontium.

Completis exequiis, cadaver sub aliis cæremoniis et orationibus sepelitur; sed non ideo memoria illius deletur omnino in officiis ecclesiasticis; sed præterquam quod nomina plurium bene meritorum recensebantur in sacris diptychis, die 3°, 7°, 30°, 40°, renovabatur funus jam tum a vetustis Ecclesiæ sæculis. Monumenta allegantur, ut supra, apud Pontium. Mos renovandi funera die 3°, 7°, 30°, retinetur adhuc ab

Ecclesia latina : diem 40um servant Græci. Rationes mysticæ horum numerorum possunt videri apud Pontium, ibidem.

Præterea anniversaria celebrantur sive pro singulis sive pro omnibus defunctis, sive pro integris familiis, congregationibus, ordinibus, non sine summo exemplo charitatis Ecclesiæ, quæ una cum suffragiis mortuorum conjungit. solatia vivorum.

§ II. DE SEPULTURIS ECCLESIASTICIS.

XVIII. Cum triplex sit Ecclesiæ christianæ status : aut enim militat in terris, aut temporaneas pœnas luit in pagatorio, aut cum Christo triumphat in cœlis, mors, juxta suum conceptum dogmaticum, non consideratur in Ecclesia tanquam infortunium quod de se hominem segreget ab ecclesiastica communione, sicuti non segregat et a communione sanctorum, sed solum consideratur tanquam perpetua et irrevocabilis separatio ab Ecclesia, quando reperit hominem et obtruncat in statu peccati : unde ipse a sanctorum societate ab ultimo fine perpetuo excluditur.

Jam vero Ecclesiæ non revelatur a Deo qualis ista mors fuerit in individuo ; sed non ideo desunt Ecclesiæ præsumptiones unde possit mortis qualitatem arguere. Namque ex eo principio quod nequeat habere Deum Patrem, qui non habet Ecclesiam Matrem, nec societatem cum Deo, qui communionem non servat cum Ecclesia, toto jure et rationabiliter præsumit quod qui extra Ecclesiæ communionem exhalaverit animam, justorum mortem appetere non potuerit. Similiter et eos qui licet ab Ecclesiæ sinu non exclusi, tamen contra Ecclesiæ piæ matris monita, præcepta

se gesserunt, et nulla facta pœnitentia correpti usque ad exitum vitæ in malæ consuetudinis proposito permanserunt, ex certa præsumptione finalis impœnitentiæ, malam mortem appetiisse præsumit, ex illo Domini edicto : « Nisi pœnitentiam egeritis. »

Contra vero ob summam fiduciam quam collocat in plenitudine meritorum Christi, quem novit pro omnibus et maxime fidelibus mortuum esse, et pro summo influxu quem credit habere de sua institutione ut conducat homines ad finem ultimum, ad beatam æternitatem, si quis Ecclesiæ sacramentis refectus et munitus, Ecclesiæ orationibus adjutus, vel saltem in pace Ecclesiæ decesserit, eum certo præsumit in osculo Christi decessisse, mutasse quidem statum, seu alterum in Ecclesia statum appetiisse, sed extra Ecclesiæ communionem non esse constitutum. Proinde mortua horum corpora summa religione custodit, tanquam corpora sociorum suorum, sciens ita charitatis officium in eos rependere qui, licet et corpore soluti, et triumphantes in cœlis, amant adhuc pro naturali tendentia unionis hyposthaticæ corpora sua, illorumque unionem secundum Dei voluntatem, cui sunt perfecte conformes, desiderant ardentissime et simul eorum separationem patienter, et lætissime tolerant usque ad sæculi consummationem, qua Dei omnipotentia suscitata pro Dei justitia assumentur in gloriam.

Quapropter jam tunc a sua institutione Ecclesia hac fide et spe percita, non mota paganis superstitionibus, consuevit excavare sepulcra mortuis suis, eaque summa pietate custodire. Ut autem pressius significaret societatem quam sperat habituros in Christo et in charitate defunctos suos placuit illi non segregare illos nec ratione sepulcri; sed prouti ea-

dem charitate communicaverunt quoad vixerint, eadem charitate uniuntur in societatem illorum animæ dum mortuæ fuerint, ita in unum locum quasi in societatem et communionem illorum defuncta corpora congregantur, ut terrena illorum corporum societas sit continuatio societatis quam habuerunt cum viverint, et expressio societatis quam habent postquam mortui sunt.

Hæc autem loca communi christianorum sepulturæ destinata vocavit *cœmeteria* quasi dormitionis requietoria, *loca communis dormitionis* pariter secundum fidei sensum quo in scripturis (1ª Thessalonic, 4, 8,), mortui in Christo vocantur dormientes, qui dormiunt quodammodo, donec angelicæ tubæ clangore excitati ad tribunal Christi judicis se sistent.

Primis autem Ecclesiæ sæculis, ita jubentibus legibus duodecim tabularum quarum jus ab imperatoribus Adriano et sequentibus ad omnes civitates fuit protensum, erant loca sepulturæ extra mœnia, siquidem interdicebatur quominus cadaver intra urbis mœnia sepeliretur : dicebantur autem *arenaria*, quia solebant excavari in arena, et sunt illa vetustissima cœmeteria, in quibus tot millium martyrum et confessorum Christi reliquiæ requiescunt.

XIX. Sed pace Ecclesiæ restituta, erectis inter mœnia publicis ecclesiis, pro Ecclesiæ consuetudine celebrandi divinum sacrificium super ossa martyrum facile reliquiæ martyrum in urbes translatæ sunt, et sub ecclesiæ altaribus sepultæ, vel ad illarum honorem nova templa extructa sunt.

Pro simili ratione et corporum sanctorum confessorum sepultura in Ecclesia concessa est, quæ deinde pro tractu est ad episcopos et clericos extensa est, prouti qui

in summa sanctitatis fama omnes decedebant. Deinde et cæteri fideles adamarunt ad Ecclesias sepeliri. Ratio fuit duplex : 1° in signum devotionis erga martyres et confessores Christi, ut prope ipsos sepelirentur illorum corpora qui cum ipsis habere gestiebant societatem in gloria et resurrectione justorum : itaque hoc pignore et sensu devotionis magis magisque illorum patrocinia et intercessionem sibi captivarent; 2° etiam ut fideles qui frequenter ad memorias martyrum et sepulcra sanctorum recurrebant, facile ipsorum recordarentur, illorumque suffragiis commendarentur magis. Propterea cœmeteria apud Ecclesias excavari cœperunt : inde et sepulturas reperiri in vestibulis templorum : demum et in ipsas Ecclesias conferri fidelium cadavera, servatis tamen cœmeteriis ob communiorem et latiorem usum, quæ velut accessorium et unum quid cum Ecclesia censebantur, et mysticis usibus, et benedictionibus ad hunc religiosum usum inaugurabantur.

Ecclesiæ autem in quibus daretur fidelibus sepultura, fuerunt Ecclesiæ cathedrales, seu parochiales, seu Ecclesiæ matrices, Ecclesiæ quæ habebant plebem christianam, et veluti centrum erant communionis ecclesiasticæ : Ut videlicet, illæ Ecclesiæ unde acceperant fideles vitam christianam, ubi eam excoluerant, perfruerant sacramentis, prædicationibus, etc., unde habuerant ultima subsidia vitæ spiritualis, quibus debebant, uno verbo quidquid in Christo profecissent, sint a quibus custodirentur ipsorum corpora, quarum pietati commendarentur magis magis, velut in continuationem quamdam vetustæ communionis, ut sicut firmioribus et specialibus charitatis vinculis cum illis essent conjuncti cum vi-

verent, ita majoribus christianæ charitatis associati remanerent mortui. Sic ecclesia materialis, symbolum Ecclesiæ spiritualis, universam Ecclesiam, quam Christo peperiret sive ea militaret, sive purgaret, sive triumpharet..... repræsentaret.

Sed tractu temporis, ob summam venerationem qua sortiti sunt in Ecclesia regulares, cœperunt fideles regularium Ecclesias adamare præ Ecclesiis cathedralibus et parochialibus, et simul pro devotione et frequentia quam vivi habuerunt erga ecclesias regulares, pro veneratione, æstimatione quam habebant vitæ regularium optare ut in illorum Ecclesiis tumularentur, rati ita magis illorum orationibus quibus tantopere fidebant, commendari posse. Unde promanarunt plura indulta et privilegia pontificia quæ primum Dominicanis, deinde Franciscanis.... tandem Ecclesiis aliorum regularium, confraternitatum et omnibus Ecclesiis tumulandi jura concesserunt, servatis tantum nonnullis quoad portionem pecuniariam Parochorum de qua supra actum est, et nonnullis quoad qualitatem loci, ubi sepulturæ fidelium dantur, videlicet quod sit locus sacer, locus in quo, etsi rarius, celebrantur tamen divina mysteria.

Pro hac optione habendi sepulturas in Ecclesiis quas quis præelegerit, cœperunt nonnulli non tantum sibi, sed et suis et hæredibus speciales sepulturas in loco quem optassent, extruere, eligere, acquirere. Unde ortæ sunt sepulturæ familiares, Hæreditariæ, Mixtæ : *Familiares*, quas aliquis sibi et familiæ constituit; *Hæreditariæ* quas quisque sibi et hæredibus; *Mixtæ*, quas hæredibus, qui sint de familia. Necnon pro voluntate fundatorum et pro titulis fundationum varie hæc jura modificata sunt. Inde ortœ sunt sepul-

turæ *Agnatitiæ* quæ protenduntur ad omnes agnatos, *Gentiles*, quæ protenduntur ad omnes gentiles. Agnati dicuntur descendentes a fundatore per consanguineos seu personas sexus masculini, et ad unam eamdemque familiam pertinent, et habent unum idemque cognomen. Gentiles sunt omnes fundatoris agnati, etiam collaterales, seu qui conjunguntur mediantibus personis sexus masculini, sed ex diversis lineis originem habent; propterea in plures familias sunt divisi, nec habent unum idemque cognomen.

XX. Concessa fidelibus libertate hac in ordine ad electionem sepulturæ, ea pro voluntate defuncti determinatur. Quod si decesserit sine electione sepulturæ, ea determinatur ex theoria amoris, non secus ac successio intestata quoad hæreditates : videlicet præsumitur illum voluisse sepulturam quam magis amavit. Censetur autem illam prædilexisse quam habet propriam, vel familiarem vel gentilitiam ob speciale amoris vinculum quo conjungitur cum iis qui ibi tumulati vel tumulandi sunt.

Si hujusmodi sepulcrum desit, vel illuc non sine magno incommodo deferri possit, censetur prædilexisse sepulcrum in Ecclesia cui ratione officii majori vinculo charitatis fuit addictus, dummodo ibi reperiretur sepultura pro se destinata. Ita Roma. Pontifices sepeliuntur in vaticana basilica : ita cardinales in titulis : Episcopi in cathedralibus : prælati in Ecclesiis suis : canonici in Ecclesiis cathedralibus vel collegiatis : Regulares in Ecclesiis sui monasterii : Confratres in Ecclesiis confraternitatum. Tamen si non adsint sepulturæ speciales et privilegiatæ, procedit jus commune, quod non adsit Ecclesia cui censeatur majoribus charitatis vinculis addictus qui de-

cesserit, nisi Ecclesia parochialis, cui successerunt pluribus in locis publica cœmeteria. Est enim Ecclesia illa cui defunctus debet initia et progressus et complementum, et exitum suæ vitæ spiritualis, ut supra dictum est. — Late de hac re disserit Ferraris.

TITULUS II.

DE INTERNO ECCLESIÆ STATU IN ORDINE AD RES TEMPORALES.

Præter res spirituales quas habet Ecclesia tanquam media directo destinata ad acquirendam, conservandam, perficiendam, exercendam vitam fidei et charitatis qua supernaturaliter vivit, et ad finis supernaturalis assecutionem redditur proportionata; habet etiam res temporales quibus sibi comparet et tueatur vitam et subsistentiam temporalem, quæ est velut suppositum et conditio sine qua rebus spiritualibus non posset intendere nec divina legatione fungi.

Porro hæ res Ecclesiæ temporales non habent naturam quamdam sibi propriam et singularem qua intrinsece differant a cæteris mundi rebus quæ a Deo naturæ auctore pro temporali hominum utilitate creatæ sunt. Tota differentia quæ a cœteris mundi rebus secernuntur, est extrinseca et apprehenditur ex distinctione, quatenus dum cœteræ sœcularibus usibus sunt addictæ, hæ ecclesiasticis usibus destinantur.

Hæc cum ita sint, nostrum non erit harum veram naturam et species investigare aut varia jura distinguere quæ circa eas hominibus possent competere, vel alia hujusmodi, quæ non constituunt quid proprium juris nostri, prouti non determinant conceptum rerum temporalium in quantum sunt ecclesiasticæ;

sed tractationem hanc universam relate ad unum punctum considerabo, videlicet in ordine ad distinctionem propter quam res temporales, quæ alioquin essent sæcularibus usibus destinatæ, sunt ecclesiasticæ, et ita evadunt objectum exclusivum juris nostri.

Jam vero res temporales in ordine ad hanc distinctionem considerari possunt in triplici statu; videlicet :

1° In statu quo hujusmodi distinctionem acquirunt, seu transeunt in dominium Ecclesiæ, et ita de sæcularibus fiunt ecclesiasticæ.

2° In statu quo manent in acquisita distinctione, seu sunt sub dominio et possessione Ecclesiæ, quæ illas administrat et distribuit ut finem suæ distinctionis obtineant.

3° In statu quo hujusmodi distinctionem amittunt, seu de Ecclesiæ dominio in alienum dominium transferuntur, seu de ecclesiasticis fiunt sæculares.

Ergo tractationem nostram dividemus in tria capita :

1° De temporalium Ecclesiæ bonorum acquisitione;

2° De temporalium Ecclesiæ bonorum administratione;

3° De temporalium Ecclesiæ bonorum alienatione.

CAPUT PRIMUM.

DE ACQUISITIONE BONORUM TEMPORALIUM.

Acquisitio bonorum temporalium potest considerari in ordine ad jus et in ordine ad factum. Videlicet potest considerari ut jus acquirendi vel modus acquirendi.

ARTICULUS PRIMUS.

De jure quo gaudet Ecclesia acquirendi bona temporalia.

I. Eodem jure, et potiori, quo facultatem habet res publica civilis comparandi sibi bona temporalia, gaudet et Ecclesia. Nam licet Ecclesia temporalibus rebus non intendat sicut civilis respublica, tamen utique pari modo necessaria est bonorum temporalium acquisitio ut valeat subsistere. Nam res ipsæ quæ dicuntur spirituales, temporalibus indigent adminuculis ut subsistant. Unde eodem jure quo dicimus civilem rempublicam gaudere potestate acquirendi bona temporalia, gaudet et Ecclesia.

Et sicuti hujusmodi facultas nascitur societati civili ex ipso jure naturæ, posita civilis societatis institutione naturali (non posset enim sine mediis finem consequi), pari modo posita supernaturali Ecclesiæ institutione et posita tali institutione ut mediis temporalibus indigeat pro sui conservatione, oritur juris naturalis facultas acquirendi bona temporalia.

ARTICULUS II.

De modis quibus Ecclesia acquirit res temporales.

II. Duplicis generis modi hac in re possunt recenseri : videlicet modi originarii et primitivi, quibus primitus ecclesiasticum peculium efformatum est : modi derivativi, quibus de peculio semel acquisito, de re sibi acquisita, comparavit sibi Ecclesia cætera bona temporalia quibus indigebat, vel quæ fini suo putavit esse opportuna.

Hujus secundi generis modi non offerunt quid sin-

gulare ut de iis agendum sit in jure ecclesiastico, sed communibus acquirendi modis usa est Ecclesia quibus assolent cives quæ sibi necessaria sunt sibi comparare. Ergo, iis relictis, de primis agemus.

Porro cum nihil magis naturale sit ut ii sentiant incommoda qui de commodo participant, nihil magis æquum fuit ut fidelium oblationibus peculium, seu melius patrimonium ecclesiasticum primitiis constitutum sit.

Hujusmodi autem oblationes aliæ fuerunt spontaneæ, aliæ obligatoriæ.

§ I. DE SPONTANEIS FIDELIUM OBLATIONIBUS.

III. Istæ fuerunt variæ :

1° Aliæ fiebant ad altare, tempore sacrificii. Concil. Carthag. 3, c. 24. — Can. apost. 3.

2° Aliæ in exsequiis mortuorum, in sacris officiis, sacramentis suscipiendis.

3° Aliæ hebdomadariæ, et menstruæ. S. Paul., I Cor., XVI, 2 ; Tertull., Apolog., c. 39.

4° Aliæ demum quandocumque et quomodocumque.

Hujusmodi spontaneis oblationibus accessit, et imperatorum christianorum pietas, qui amplissimam concesserunt fidelibus facultatem disponendi de re sua in favorem Ecclesiæ, sive actibus inter vivos, sive causa mortis, aut testamentariis successionibus ; imo et jura agnoverunt favore Ecclesiæ pro intestata successione clericorum et monachorum, qui non facto testamento sine hæredibus legitimis decessissent. Imo ad augendum vel providendum patrimonium Ecclesiæ, et redditus municipales pro Ecclesiis constituerunt, et redditus cultus pagani et templorum gentilium in usus ecclesiasticos contulerunt.

§ II. DE OBLIGATORIIS OBLATIONIBUS FIDELIUM.

IV. Quousque Ecclesiæ satis provisum est spontaneis fidelium oblationibus, ab obligatoriis contributionibus imponendis fidelibus abstinuit. Sed quando hujusmodi oblationes, frigescente fidelium charitate, imminui cœperunt nec aliis mediis satis esset provisum necessitati Ecclesiæ, debuit jure suo uti, seu imponere fidelibus obligatorias contributiones, ut legis imperio id præstarent quod charitate suadente, non amplius præstabant.

Non aliter politica respublica imponit civibus tributa, ut qui societatis sentiunt commodum, eidem pro societatis conservatione conspirent.

Hujusmodi obligatoriæ præstationes a fidelibus in Ecclesiam erogandæ fuerunt : 1° primitiæ, 2° decimæ.

V. — 1° *De Decimis.* — Itaque sub finem tertii sæculi, vel quarto sæculo ineunte, cum sensim refrixerit charitas fidelium et admodum pauca et ægra offerrentur quæ cultui peragendo, ministris alendis, ac pauperibus vix sufficerent, proponere fidelibus cœperunt patres, Judæorum exemplum, qui ex divina institutione (Levitic., 26, 30) Decimas levitis et sacerdotibus fundebant. Ita Cyprianus, Hyeronimus, Augustinus.

Ex crebris patrum adhortationibus contigit ut pluribus in locis solvendarum decimarum consuetudo inolesceret donec vim legis obtinuerit, præsertim in Occidente : non inde tamen statim aliqua coactio adhibita est vel pœna in transgressores indicta. Primum monumentum sanctionis pœnalis qua munita sit solutio decimarum, offert nobis concilium Matisconense II, sæculo VI. Sed sæculo IX et sequentibus sæculis, tum ecclesiasticis, tum civilibus coercitionibus

ad hujusmodi legis observantiam tuendam deventum est.

Erant autem decimæ : *Certa pars fructuum vel lucri*. *Certa pars*, non decima, quia interdum major, interdum minor pro diversis consuetudinibus.

Fructuum vel *lucri* quia aliæ fuerunt *prædiales*, seu reales, aliæ vero *industriales* vel *personales*.

Prædiales ex fructibus et proventibus prædiorum. Quoad varias species decimarum, et jus quo debentur, ad tractationem superiorem spectat.

De *primitiis* et de jure quo debentur, in Instit. elem. tractare parum etiam proficeret, cum hæc quæstio hodie ad praxim vix spectet.

CAPUT II.

DE TEMPORALIUM ECCLESIÆ BONORUM ADMINISTRATIONE,

I. Quemadmodum Ecclesiæ jus tribuimus acquirendi bona temporalia, ita bonorum acquisitorum dominium, et quod consequens est, illorum possessionem et administrationem denegare Ecclesiæ non possumus, ut acquisitis bonis fruatur, utatur ita ut ea finem suæ destinationis consequantur.

Jamvero Ecclesiæ nomine in jure nostro non venit tantum Ecclesia generalis, sed quælibet ecclesiastica communitas in suo genere perfecta, quæ proprium habeat pastorem, clerum et populum, et salva relatione quam habet cum societate ecclesiastica generali, velut pars ad suum totum, a cæteris peculiaribus communitatibus ecclesiasticis sit independens; uno verbo nomine Ecclesiæ non tantum venit Ecclesia generalis, sed singulæ diœceses aut quasi diœceses, quæ Ecclesiæ particulares jure nostro dicuntur ; ergo

non tantum Ecclesia generalis, sed et singulæ peculiares ecclesiæ habuerunt sui peculii administrationem.

Sed Ecclesia super episcopos fundata est, et per eosdem præpositos omnis illius cœtus gubernatur. Ergo quotquot constitutæ sunt diœceses, velut communitates ecclesiasticæ in suo genere perfectæ, velut totidem familiæ christianæ, totidem apparuerunt particularia Ecclesiæ patrimonia, quæ a singulis episcopis velut patribus familias et rectoribus societatis ecclesiasticæ administratæ sunt.

Pro qualitate autem destinationis quam habent res temporales Ecclesiæ, ad eos fines directa est hæc administratio, ut per eam providerentur episcopus et clerici convenienti sustentatione, et cætera providerentur quæ ad divinum cultum pertinerent, et sacrorum administrationem, nec non per ea providerentur peregrini, pauperes... uno verbo charitatis operibus satisfierit quibus ex instituto suo studet Ecclesia.

Speciali autem modo per ea provisum non fuit juvando studio evangelicæ perfectionis et vitæ regularis, quippe monachi primitivi de propria industria et labore manuum suarum sibi victum vestesque compararunt; lapsu temporis temporali patrimonio aucta, monasteria separatam illius habuerunt administrationem, quæ jam tum ab initiis ratione exemptionum ab episcopali jurisdictione subtracta est.

Sed licet scopus œconomiæ administrationis peculii ecclesiastici semper ille fuit ut temporalia finem suæ destinationis assequerentur, videlicet ut spiritualium rerum adminicula essent necessaria, non una fuit administrationis ratio ut iste finis assequeretur, sed variæ fuerunt hujus administrationis vices.

II. Quousque in singulis diœcesibus una Ecclesia, eaque cathedralis, cui unus præficiebatur antistes, unus fuit cumulus, una massa communis omnium bonorum temporalium singularum diœcesium; hujus administrationi præficiebatur antistes seu episcopus, qui, apostolorum exemplo, ministerio diaconorum hac in re juvabatur, ne a spiritualibus officiis distraheretur.

Bona autem ecclesiastica erant duplicis generis, alia mobilia, uti pecuniæ resque fungibiles usuque consumptibiles, et bona immobilia, sive prædia. Prima illa servabantur in gazophylaciis, conchis, arcis vel corbonis, et de mandato episcopi per diaconos tribuebantur. Isthæc vero, siquidem illorum possessio utilis foret Ecclesiæ, prout olim fuit post datam Ecclesiæ pacem, retinebantur sub Ecclesiæ administratione; secus venumdabantur. Utroque in casu diaconi partem suam sibi vindicabant; seu ii erant qui pro mandato episcopi ea vendebant et in pios usus erogabant, vel si retinebantur, diaconi erant qui illorum fructus et redditus exigebant; exacti fructus cedebant in episcopi potestatem, qui per manus diaconorum tribuebantur in pias causas, quales erant erectiones et reparationes templorum, ornamenta sacra, subsidium pauperum peregrinorum et captivorum, subsidium et alimentum ministrorum.

Fiebant istorum bonorum quatuor portiones: una cedebat Episcopo; una clericis, tertia fabricæ ecclesiæ; quarta pauperibus (Walter, § 245). Ubi tres tantum fiebant portiones, manebat clericis et episcopis officium providendi pro virili necessitatibus pauperum. Ubi gravior esset administratio, vel cura et custodia habenda esset dissitorum prædiorum, in

subsidium diaconorum constituebantur subdiaconi, quod jam tempore Gregorii Magni factum est in Ecclesia romana. Ut autem Episcopi levarentur cura immediata advigilandi administrationi et gestioni diaconorum, unus electus erat Archidiaconus, qui vices Episcopi generales sustineret in hac temporalium rerum administratione.

Sed erectis aliis, primo rure, deinde in urbibus Ecclesiis præter cathedralem, hæc communis administrationis ratio vices aliquas subiit, missis presbyteris et ministris illarum ecclesiarum titulo ordinatis. Vide Berardi Jus ecclesiasticum universum : Dissertatio I, c. 1, de beneficiis.

III. Solemne fuit in ecclesiastica disciplina ut sacris clericorum officiis responderet jus ad temporales proventus pro honesta sui substentatione; scriptum est enim (I Cor. 9, 9,) : Non alligabis os bovi trituranti... qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt cum altari participant... et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere. Qui bene præsunt (I Tim., 5, 17), presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina. Dicit enim Scriptura : Non alligabis os bovi trituranti, et dignus est operarius mercede sua. Sed varius fuit modus quo hujusmodi jus pro officio competens exercuerunt clerici pro varietate administrationis peculii ecclesiastici.

Usque ad sæculum v, quando non erat communis administratio totius peculii seu patrimonii ecclesiastici, quod ab uno episcopo in singulis diœcesibus ministris diaconorum et subdiaconorum exercebatur, jus temporalis subsidii officio clericali respondens erat jus recipiendi ordinarias distributiones de massa com-

muni, quæ nutu Episcopi, per manus diaconorum pro singulorum merito vel in victualibus vel in numerata pecunia ministrabantur.

Quando sæculo v inducta est, et sæculo XI restituta, vita communis inter clericos ad instar monachorum, jus temporalis emolumenti officio spirituali respondens ita modificatum est ut pro officio spirituali ad quod clericus erat inauguratus, acquireret jus ad alimenta de mensa communi, ac domicilium de communi diversorio, ad vestes et cætera omnia quibus indigebat de communi administratione.

Quando a sæculo VI, ad XI et a XI, vel XIII, obtinuit disciplina qua prædia nonnulla distracta a communi administratione conjungerentur cuidam determinato officio sacro, ita ut qui ad functiones illius officii persolvendas esset institutus, eo ipso acquireret jus singularis administrationis, et ususfructus eorumdem prædiorum, tunc jus illud ad temporales proventus de peculio ecclesiastico determinatum est ad certos redditus, fructus et emolumenta ex prædiis rusticis vel urbanis, vel ex rebus quæ immobilibus æquiparantur. Hujusmodi autem fundi stabiles determinatis officiis sacris adnexi dicti sunt illorum officiorum *præbenda*, translato vocabulo a profana in sacram militiam. Præbenda enim apud Romanos dicebatur quod exercitui præbendum concedebatur, sive sal, ligna cæteraque ad annonam pertinentia, quæ magistratibus, legatis, militibus hospitii gratia de more suppeditantur.

Non aliter officia ipsa sacra quibus talis præbenda esset annexa, aut ususfructus horum prædiorum officio sacro adnexus, translato vocabulo a profana ad ecclesiasticam significationem, *Beneficium* dici con-

suevit a mediæ ætatis scriptoribus. Cum enim sive officium sacrum, sacro singulorum ordini respondens, perpetuum esset, sive ususfructus horum prædiorum officio annexus et velut quid unum cum officio perpetuus esset, visus est comparari posse cum peculiis seu cum prædiis fiscalibus quæ ab imperatoribus ducibusque militibus utenda fruenda concedebatur ad vitam cum onere servitii in posterum gratis præstandi. Beneficium proinde est nomen complexivum juris et officii, utriusque perpetui et auctoritate ecclesiastica instituti et recogniti.

Omnes etiam concedunt quod cum jus detur propter officium, officium considerari debet tanquam præcipuum, jus autem tanquam secundarium et sacro ministerio adnexum. Discrepant autem in definitione tradenda. Nam communiter studentes etymologiæ vocis definiunt : *Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ ratione spiritualis officii auctoritate ecclesiastica constitutum* : dum a melius studentibus rei veritati deberet dici : *officium sacrum ecclesiastica auctoritate constitutum, cui adnexum est jus percipiendi fructus de peculio Ecclesiæ*. Hæc dogmatica beneficiorum definitio non solum vera esset, sed sub quacumque varietate administrationis peculii ecclesiastici eadem deprehenderetur.

IV. Ita distractis prædiis a communi administratione, et concessis in singulorum administrationem, non tamen amiserunt et dependentiam ab episcopi jurisdictione, qui est administrator natus totius peculii ecclesiastici; sed sicuti in agnitionem hujus dependentiæ et in vestigium communis administrationis, quibusdam oneribus gravata sunt erga communem administrationem sive vacantia forent sive plena. Sunt

autem : *Jus procurationis* (hoc est gratuitum hospitium dictum procuratio), quod constat *moderatis victualibus* episcopo ecclesias diœcesis suæ visitânti. Jus *cathedralicum* aut *synodaticum* seu pensio singulis annis a clericis tempore synodi in honorem cathedræ solvenda [1]. Utrumque quoad quantitatem dimetitur ex moribus.

Jus *subsidii charitativi* cum Episcopus indigeat: quantitas ex moribus determinatur. *Spolium* est quoddam ecclesiasticum peculium quod mortis tempore ad Ecclesiam pertinet, quando nempe ecelesiastici beneficiati vel decedunt sine testamento, vel sine facultate testandi disponunt. Hodie camera pontificis Romani sibi vindicat fructus ecclesiarum a decedentibus beneficiatis relictos. Sed non in omnibus provinciis observatur.

Deportus, seu jus percipiendi vacantium beneficiorum redditus, quos Episcopi vel alii collatores sibi tribuebant. Hodie etiam hi jure spolii ad Cameran apostolicam devolvuntur.

Annatæ seu dimidiæ annatæ quæ solvuntur de fructibus prioris anni a clericis de beneficio provisis a sede apostolica.

Plura de his videas apud Walter in fine primi voluminis, apud Giraldum, p. III, apud Fleury de Beneficiis.

Recentibus temporibus opere conturbationum politicarum quibus plus minus subjecta fuit Europa, hic illic declarata sunt prædia ecclesiastica proprietates

[1] Hoc neque immemoriali contraria consuetudine præscribitur, ut constat ex decreto congr. conc. 6 jun. 1693. Et etiamsi non celebraretur synodus, solvi tamen deberet quotannis, ut constat ex pluribus declarationibus congr. conc. apud Bened. XIV (l. V de Syn. diœc. c. VII).

nationales, cesserunt favore publici ærarii; et opere concordatorum provisum est ut publicum ærarium annuas solvat pensiones favore ministrorum cultus divini; alicubi Ecclesia, ut accedit præsertim sub schismate anglicano, quod sibi furatum est bona Ecclesiæ catholicæ, coacta est vivere oblationibus fidelium adeo ut jus ad proventus temporales officio clericali respondens sit jus recipiendi fidelium oblationes.

Hæ sunt vicissitudines quibus subjacuit administratio peculii ecclesiastici in ordine ad providendum clericos de vitæ necessariis. Videamus quas vices subierit ex ea parte quæ spectat fabricas ecclesiasticas, aut pauperum.

De hac re nonnulla dixi sequutus Walter de fabricis ecclesiasticis, et de hospitalibus.

CAPUT III.

DE TEMPORALIBUS ECCLESIÆ BONIS ALIENANDIS.

I. Bona Ecclesiæ temporalia non habent aliquid in natura sua ut a cæteris temporalibus bonis distinguantur; at tota differentia qua a cæteris rebus differunt, quæ sunt in dominio sæculari, se tenet ab extrinseco, videlicet consistit in destinatione. Jamvero sicuti hanc destinationem acquirunt cum transeunt in Ecclesiæ dominium, ita acquisitam amittunt, siquidem extra Ecclesiæ dominium constituantur. Porro duplici modo contingere potest ut res temporales extra Ecclesiæ dominium constituantur, videlicet 1° alienatione, 2° præscriptione : utrumque modum breviter consideramus, ut constituamus quæ requiruntur ut utraque legitima habenda sit, et tanquam modus transferendi dominium bonorum ecclesiasticorum.

ARTICULUS PRIMUS.

De alienatione.

II. Initio Ecclesiæ alienatio bonorum ecclesiasticorum erat pars ordinariæ administrationis eorumdem, siquidem non expediebat Ecclesiæ sub gladio persequutionum bona immobilia possidere. Ergo quemadmodum episcopus erat administrator natus hujus peculii, et judex legitimus qui indicaret de eo quod Ecclesiæ magis videretur expedire, ita illius decreto, ministerio diaconorum bona Ecclesiæ alienabantur. Cessatis persecutionibus, contrarium principium administrationis obtinuit, videlicet quod Ecclesiæ bona tecta sartaque servarentur, ut certi redditus suppeditarent quæ ad obeundum divinum cultum, ad alendos Ecclesiæ ministros, ad fovendos pauperes requiruntur. Hæc regula tum sacris canonibus, tum civilibus legibus confirmata est.

Non autem iis legibus absolute prohibita est quælibet bonorum ecclesiasticorum alienatio, sed quæ sine justis causis fieret, quæque inconsulto imminueret ecclesiasticum patrimonium. Non aliter et cujuscumque administrationis leges, cum pro principio habent quod bona stabilia et fructifera augeantur quidem, non imminuantur; hanc tamen habent exceptionem quod videlicet necessitatis vel utilitatis ratio illorum alienationem non exigat.

Porro causarum legitimæ alienationis judex fuit primis temporibus unus Episcopus, cujus perspecta erat probitas, cui licuit et servos manumittere et vasa sacra redimendorum captivorum gratia distrahere. Hæc vero Episcoporum potestas cohibita deinde est ratione abusuum, et constitutum est si res immobilis

vel mobilis prætiosa foret distrahenda, in synodo provinciæ de alienatione decerneretur. Demum cum forte synodi evasissent rariores, ea fuit inducta disciplina ut alienatio totius cleri consensu et subscriptione atque Episcopi auctoritate celebraretur. Can. 52, 53, caus. 12, 9, 2.

Cum vero hodie collegia seu capitula canonicorum vices gerant cleri, si qua bona ecclesiastica ad Ecclesiam cathedralem pertinentia, vel ad mensam episcopalem vel ad capitulum vendi, permutari aut alia ratione alienari velint, requiritur ut prælatus cum capitulo vel collegio rite adunatus consultet an conducat necne alienatio ad Ecclesiæ utilitatem, eoque in negotio sententia valeat quæ capitulo universo, vel saltem majori parti placuerit. Quod si sermo sit de bonis pertinentibus vel ad capitulum Ecclesiæ collegiatæ vel ad monasterium, pari modo consensus canonicorum et monachorum requiritur capitulariter exponendus. Ubi vero agatur de bonis Ecclesiarum quæ capitulum vel collegium non habent, alienatio a rectore Ecclesiæ unius Episcopi inquisitione et decreto celebraretur.

Sed tanta episcoporum et clericorum libertas in causa alienationis bonorum ecclesiasticorum abusibus patuit, mediis sæculis, præsertim cum Episcopi jura fundi dona militibus dederunt ut eos sibi pro Ecclesiarum defensione obstringerent, et quia aliquorum episcoporum eo pervenit augendi, ditandi suos cupiditas ut familiares, ita consanguineos suos hisce elargitionibus ditarent. Aliquando clerici cum usufructu tantum gauderent, curarunt magis emolumenta a bonis haurienda, quam successorum utilitatem, protrahendo locationes ad diuturnum tempus et exigendo pensiones anticipate cum damno successorum.

His malis remedium afferre et aliis hujusmodi malis curaverunt varia concilia, donec Paulus II, sæculo xv, extravag. *Ambitione*, de bonis alienandis vel non, confirmato vel ampliato veteri jure circa alienationem bonorum ecclesiasticorum, interdixit ne importune bona Ecclesiæ alienarentur sine beneplacito sedis Apostolicæ. Huic conditioni alia variis in locis successit placiti regii, sub prætextu advocatiæ vel custodiæ Ecclesiæ, quæ si potest admitti hac in re, non certo in causa contraria, videlicet acquisitionis bonorum ecclesiasticorum ob legem amortizationis. Sed de his in suo loco seu in statu externo Ecclesiæ.

Breviter explanabimus juxta Paulinam constitutionem *Ambitiosæ* :

1° Quæ bona prohibeantur alienari, et quid nomine alienationis;

2° Quæ causæ possint cohonestare alienationem;

3° Quinam sint effectus alienationis non rite factæ.

§ I. DE BONIS NON ALIENANDIS.

III. Non omnia bona temporalia Ecclesiæ sive ea Episcopi clericorumque sustentationi, sive ædium sacrarum conservationi, sive monasteriis, sive aliis religiosis piisve locis inserviant, cadunt sub interdicto de bonis temporalibus Ecclesiæ non alienandis, sed solum pro jure quo utimur, sub hoc interdicto cadunt res immobiles vel mobiles pretiosæ, quæ servando servari non possunt.

Res immobiles aliæ sunt proprie dictæ, ex. gr. prædia; aliæ improprie dictæ quæ in jure civili dicuntur incorporales, id est jura omnia, ex. gr., servitutes, census, obligationes actionesque ad immobilia. Immobilibus proprie dictis accensentur res solo cohæ-

rentes, siquidem mobile immobili cohærens immobile censetur : uti arbores in fundo, quæ proinde succidi non possunt, dummodo in earum succisione non consistat fructus prædii, et ea sequuta deterior fundus non fiat, uti accedit in sylvis nemoribus, arundinetis, ubi arboribus excisis novæ succrescunt, vel ordinaria cultura substituuntur.

Tamen prædiola quæ 25 ducatorum vel 40 circiter scutatorum romanorum valorem non excedunt, c. *terrulas* 53, caus. 12, 9, 2, possunt alienari sola ordinarii auctoritate sine interventu sedis apostolicæ.

Quando agimus de alienatione bonorum Ecclesiæ temporalium, alienationis nomen amplissimo sensu et latissima significatione usurpatur ita ut comprehendat non solum omnes contractus per quos dominium plenum, directum vel utile transfertur, quales sunt venditio, permutatio, emphyteusis, infeudatio, sed etiam modi quibus transfertur aliquod jus reale, prouti sunt constitutio servitutis, pignoris vel hypothecæ; immo ipsa venditio fructuum ad longum tempus, vel ad vitam cum solutione anticipata, vel bonorum locatio ad longum tempus peracta et quælibet condictio per quam res Ecclesiæ deterior efficitur.

Ex his omnibus alienationis modis, in specie agam de emptione et venditione proprie dicta, de emphyteusi et infendatione, de locatione et conductione.

IV. *Emptio venditio;* contractus consensualis de re pro certo pretio tradenda.

Alia *œconomica*, alia *negotiatoria;* hæc interdicta est clericis et Ecclesiæ;

Illa potest esse pura et simplex, vel cum pacto adjecto, cum conditione retrovenditionis seu redemptionis.

Læsis ultra dimidium justi competit jus rescindendi contractum, restituto pretio, aut jus recipiendi id quod deest vel quod excedit justum pretium. Læsis infra dimidium non datur actio nec ad rescissionem, nec supplementum in foro externo, ad avertendas lites; sed Ecclesia etiamsi læsa sit infra dimidium, ad instar minorum habet beneficium restitutionis in integrum, et ita hac alia via potest jus suum tutari.

Emptiones venditiones cum pacto redimendi æqua lance pensandæ sunt, ne involvant contractum usurarium, quod ab Ecclesia præsertim debet præcaveri. Ex. gr. si majori pretio redimendum, si modicissimum.

Deinde retrovenditio cum sit implementum pacti adjecti in venditione, et non est novus et liber contractus, juxta plurimorum sententiam, ad ipsam non requiruntur solemnitates venditionum bonorum ecclesiasticorum, cum jure positæ fuerint in contractu principali.

V. *Locatio conductio :* contractus consensualis de usu rei, vel opere personæ pro certa mercede concedenda.

Cum diuturna locatio speciem alienationis videtur habere, interdicitur; non admittitur ultra triennium. Quid si de triennio in triennium statuatur renovanda nisi ad exitum triennii mens aliter non declaretur? Aliquibus visum est unum esse contractum qui a primo causam ducit, esse proinde contra legem aut in fraudem legis. Sed alii dicunt esse meram explicationem futuræ voluntatis ut intelligatur initus novus contractus quoties contrariam voluntatem non expresserint : inde silentium esset novæ voluntatis indicium, quæ semper libera manet, præsertim si tot distinctæ locationes essent quot triennia.

Locationes aliquando scinduntur morte illius qui locavit, aliquando non, juxta quod pertinuerint ad mensam Beneficiati vel ad Ecclesiam.

Notandum est præterea non posse anticipate pensiones percipi a beneficiato antequam veniat dies solutionis, nec locari ad vitam pro certa mercede quam una vice accipiant, quia licet detrimentum Ecclesiæ vel successoris amoveatur, dignitas tamen clericalis ordinis in discrimen adducitur.

VI. Sub interdicto de non alienandis bonis ecclesiasticis cadunt etiam *emphyteusis* et *infeudatio*, quippe hi contractus ex aliqua parte emptionem et venditionem, ex alia vero locationem et conductionem imitari videntur.

Emphyteusis est ab emphyteuo seu ab εμφυτευειν quod est implantare, inserere : sic principio dicebantur agri steriles et inculti et colonum non reperientes qui concedebantur a dominis cultoribus sub modicæ pensionis lege, ut plantatione utiliores redderentur. Mos deinde invaluit fœcundi etiam agri quin et urbana prædia vel ut diruta reædificarentur, vel ut in meliorem statum redigerentur, in emphyteusim concederentur.

Hic contractus ex uno latere, ut inquiebam, sapit locationem et conductionem, quia non commutat rem pretio, sed usum rei concedit statuta pensione. Ex alia parte vero alienationem seu emptionem venditionem imitatur, quia pensio illa quæ canon dicitur, non datur pro fructu et usu tanquam merces, sed tanquam obsequium in agnitionem domini præstandum; nec solum rei usus conceditur, sed et facultas rem tanquam suam habendi, immutandi, alienandi conceditur, ita ut unius ejusdemque rei dominium in

duos ita distingui videatur ut penes unum fundi proprietas directa remaneat, alteri proprietas utilis fundi acquiratur. Prior dominus emphyteusis dicitur dominus directus, alter dominus utilis.

Est autem contractus emphyteusis, contractus consensualis quo utile dominium rei immobilis vel in perpetuum vel ad longissimum tempus pro certo annuo canone in agnitionem domini præstando conceditur.

Porro cum per hujusmodi contractum cedatur rerum dominium aliquo modo, et hic iniri non potest de bonis ecclesiasticis, nisi legitimis causis, et servatis solemnitatibus in alienatione bonorum ecclesiasticorum servandis, inter quas præcipue attenditur beneplacitum sedis apostolicæ, quod facile omnes alias solemnitates supponit vel includit. Beneplacitum autem apostolicum solet etiam præfinire conditiones et pacta quibus contractus ineundus est, eaque ad substantiam et formam contractus ita pertinent ut si non custodiantur, contractus ipse, tanquam non servata legitima forma ejusdem beneplaciti, jure ipso non consistat. Spectant vero hæc conditiones :

1° *Canonem* ab emphyteuta singulis annis solvendum, qui taxatur ratione habita fructuum, expensarum et onerum. Si quis hunc canonem per triennium in emphyteusi laicali, vel per biennium in ecclesiastica non solverit, jure suo cadit, licet non possit dominus directus propria auctoritate possessionem fundi arripere, sed uti debet judicis ministerio ; et ad æquitatem conceditur jure canonico emphyteutæ quousque a fundo dimotus non fuerit, jus purgandi moram per ablationem pensionis quam distulerat et quam semper debet quousque fundus non pereat.

2° *Tempus* quo emphyteusis est duratura, videlicet ad unam, ad duas, ad tres vel plures generationes, vel in perpetuum. Generationes autem quibus perdurat emphyteusis definiuntur ad tempus determinatum, non autem ad determinatas personas quæ gaudeant. Nisi enim ea providentia vel pacto ex legibus primæ investituræ comparata sit a primo acquirente emphyteusis ut ea in filios et descendentes transeat nulla habita ratione hæreditatis, et post in eos descendentes qui fuerint hæredes, emphyteusis potest esse transitoria ad quoscumque, etiam extraneos. Sed in hac translatione requiritur ut dominus directus translationem approbet et laudet, et de novo emphyteutæ investituram veluti tribuat, pro quo actu emphyteuta solvere debet laudemium, quod est 50ª pars æstimationis rei dum in alium transfertur, nisi aliter statuto pacto aut consuetudine cautum sit. Quod si vero casu quodam obveniat ut emphyteusis ad manus mortuas perveniat seu ad communitates quæ non solent alienare, nec unquam moriuntur, ne deterior conditio domini directi fiat, statutum est ut dominus directus pro laudemio habeat quindennium, seu laudemium ipsum quindecim in quindecim annos, quod dari debuisset.

3° *Melioramenta* quæ fieri debent : an videlicet ea quæ ad emphyteutam pertineant, in casu quo res emphyteutica domino directo reddatur, meliora essent. Utilia melioramenta de jure communi pertinent ad emphyteutam, ne alter cum alterius jactura fieret locupletior; sed plerumque jure ecclesiastico in emphyteusis ecclesiasticis cautum est ut melioramenta quælibet cedant solo, et ita nil possit exigere emphyteuta ob eam causam.

VII. Emphyteusi proximum est *feudum* : in eo differunt quod jus emphyteusis sub annua pensione constituetur, alterum sub conditione mutuæ fidelitatis. Feudum enim definiri potest : jus prædio alieno in perpetuum vel ad tempus utendi, quod pro beneficio dominus dat ea lege ut qui accipit, sibi fidem et servitium aliquod exhibeat.

Ista species contractus derivavit a Longobardis, quorum principes ut sibi benevolos redderunt milites. Italiam ingressi, ut suum imperium stabilirent, urbes et castella cum subjacente agro ducibus exercitus aliisque qui majora in bello dedissent virtutum specimina gratis feudi nomine concesserunt, ubi regalia exercerent tributa imperando et alia quæ jurisdictionis politicæ sunt propria sub onere fidelitatis (feudum verbum a fide) et auxilium etiam personale in bello. Inde ille qui feudum concedebat dicebatur *dominus*, ille cui concedebatur dicebatur *vassallus*, miles, et feudatarius ; inde regna, electoratus, ducatus, marchionatus, principatus, comitatus qui aliquando et episcopatibus sunt conjuncti.

Sed non omnia feuda erant regalia ; aderant et non regalia magis similia emphyteusi, sola differentia fidelitatis. Non cessat tanquam emphyteusis ob non solutum canonem, sed ob non servatam fidelitatem, seu ob crimen felloniæ.

Jamvero cum hujusmodi contractus in usu essent, vel principes sæculi, vel etiam episcopi soliti fuerunt bona Ecclesiæ militibus infeudare (vide Soglia, de jure privato de infeudatis decimis, et Walter) : inde direptio processit fere universi peculii ecclesiastici.

Plura concilia curarunt ut hæc bona sic infeudata restituerentur ecclesiis. Præsertim concilium Latera-

nense III, cap. XIX, de decimis sancivit : « Ne laici decimas cum animarum periculo detinentes in alios laicos possent aliquo modo transferre ; si quis vero recepisset, et non reddidisset, christiana sepultura privaretur. » Sed hoc decretum non fuit generatim receptum, et a canonistis benigne interpretatum quasi possessoribus decimarum non liceret eas ultra ad laicos transferre, seu quasi novas decimarum acquisitiones vetaret, sed permitteret et toleraret decimas quibus actu laici fruebantur.

Sed quidquid sit de infeudationibus factis ante conc. Later. III, novæ infeudationes veluti alienationes bonorum ecclesiasticorum, sine debitis solemnitatibus et causis fieri amplius non potuerunt ; et hodie quemadmodum cæteri contractus alienationis bonorum ecclesiasticorum, cadunt sub interdicto.

§ II. DE CAUSIS ALIENATIONIS BONORUM ECCLESIASTICORUM.

VIII. Legitimæ causæ alienationis bonorum ecclesiasticorum communiter tres recensentur : 1° necessitas, 2° utilitas, 3° pietas.

Necessitas, ex. gr., si Ecclesia tanto ære alieno obruta sit, ut soli bonorum fructus ei non sufficiant, vel de bonorum fructibus satis non colligat unde suis necessitatibus satisfiat. Sed jus necessitatis stricte sumendum est, nec longius progrediendum quam necessitas postulat. Ergo incipiendum est a rebus mobilibus, quæ ad ornatum pertinent, aut minus necessariæ sunt, nec ad perpetuam alienationem procedendum si per locationem, oppignorationem, emphyteusim vel alio modo quo bona immobilia perpetuo non alienantur, plene possit sublevari Ecclesiæ necessitas.

Utilitas si ex alienatione melior fiat conditio patri-

monii ecclesiastici; si sterile prædium tanti vendatur, ut ex eo acquiri possit fructiferum, si agri inculti vel ædes ruinosæ dentur in emphyteusim, si longe remota prædia cum propinquis possint commutari. Debet autem utilitas esse manifesta, nec sufficit quod Ecclesia non damnificetur.

Pietas : si bona Ecclesiæ sint alienanda ad redimendos captivos, pauperes tempore famis alendos, ædificandum templum, ampliandum cæmeterium. Pro his causis PP. etiam bona et vasa sacra initiata confregerunt, conflarunt, vendiderunt.

Sed etiamsi justæ hæ alienationis intercidant causæ, non ideo libera est concessa omnibus facultas alienandi, nisi legitimæ etiam interveniant solemnitates quæ, uti præmonebam, juxta jus vigens, consistunt in consensu prælati cum capitulo, vel collegio clericorum aut monachorum rite congregato, si res pertinent ad mensam episcopalem, ad ecclesias cathedrales, ad capitulum, monasterium vel ecclesiam collegiatam. Si vero agatur de bonis ecclesiarum quæ capitulum, vel collegium non habent, alienatio unius ecclesiæ rectore sub episcopi inquisitione et decreto celebratur. Sed his solemnitatibus accessit c. 2 (quod est Gregorii X in Lugdunensi) hoc titulo in 6°, beneplacitum sedis apostolicæ, quod demum ad omnes alienationes protractum est per extravagantem *Ambitiosæ* inter communes, paucis exceptis casibus :

1° Si agatur de re immobili quidem sed modici valoris, quæ 25 ducatorum vel circa 40 romanorum scutatorum valorem non excedunt.

2° Si sermo sit de bonis quæ dari consueverunt in emphyteusim, vel infeudari : dummodo in nullo deterior, imo melior semper fiat Ecclesiæ conditio.

3° Si sermo sit de bonis etiam immobilibus, sed donatis vel acquisitis monasteriis incapacibus dominio immobilium, etiam in communi. Hæc enim alienatio necessaria iis ratione regulæ et status, nec proprie dici potest alienatio rerum, quas nunquam acquisiverint.

§ III. DE EFFECTIBUS ALIENATIONIS BONORUM ECCLESIASTICORUM NON RITE FACTÆ.

IX. Si alienatio legitimis causis et solemnitatibus facta fuerit, transfertur rei dominium; tantum si ex ea post factum appareat Ecclesiam fuisse graviter læsam, ad instar pupillorum et minorum, gaudet beneficio restitutionis in integrum, restituto emptori pretio et aliis expensis in utilitatem Ecclesiæ factis.

Sed si non ex justa causa, et posthabitis solemnitatibus jure canonico præscriptis, res Ecclesiæ fuerint alienatæ, alienatio prorsus invalida et nullius valoris est, et nullum jus in accipientem transfert. Hoc autem semper consideratur in favorem Ecclesiæ, quod potest rescindere contractum, prout sibi damnosum : hæc vero non procedunt de emptore, qui nunquam potest allegare nullitatem actus, et licet Ecclesiæ velit emptor restituere, non tenetur Ecclesia acceptare. Non secus ac pupilli et minores sine auctoritate et consensu tutorum possunt contrahere in suum commodum, non ita in suum præjudicium. Sed si Ecclesiæ damnosa fuerit alienatio, potest vel actione personali contra venditorem et hæredes, aut reali in rem, ut vel ab illo compensetur vel ab hoc rem suam vindicet et recuperet.

Quærunt doctores an iis in locis ubi constitutio Pauli II, recepta non est, cæteris servatis, sed omissa

venia apostolica, consistant alienationes? Benedictus XIV, de Synodo 12, 8, late de hac quæstione disserit, et concludit quod prudenter curent nec improbare, nec approbare inconsulto Romano Pontifice inductam consuetudinem.

De *Præscriptione* in 3ª parte, quæ est de judiciis.

INDEX

SECUNDI VOLUMINIS.

SECTIO II.

DE STATU ECCLESIÆ IN ORDINE AD RES.

TITULUS PRIMUS.

DISSERTATIO PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT II.

ARTICULUS PRIMUS.

De Sacramentis in specie.

CAPITUL. PRIMUM.

CAPITUL. II.

CAPITUL. III.

CAPITUL. IV.

CAPITUL. V.

APPENDIX.

CAPITUL. VI.

Pars prima, sive Pars generalis.

Pars specialis.

APPENDIX.

DISSERTATIO II.

CAPUT PRIMUM.

ARTICULUS PRIMUS.

ARTICULUS II.

ARTICULUS III.

ARTICULUS IV.

ARTICULUS V.

ARTICULUS VI.

CAPUT II.

CAPUT III.

ARTICULUS PRIMUS.

ARTICULUS II.

TITULUS II.

CAPUT PRIMUM.

ARTICULUS PRIMUS.

ARTICULUS II.

CAPUT II.

CAPUT III.

ARTICULUS PRIMUS.

ARTICULUS II.

FINIS INDICIS ET SECUNDI VOLUMINIS.

ANGERS, IMP. P. LACHÈSE, BELLEUVRE ET DOLBEAU.

QUÆ IN I VOL. OCCURRUNT

ERRATA PRÆCIPUA.			CORRIGE :
P. 162-170		Ista..... (Appendix seu ascriptio ex Maschat quæ litteris minutioribus scribi debebat)	« Istæ..... »
Pag. 4	lin. 9	est	ex.
26	1	constare monarchiam	in monarchia.
43	3	motus	modus.
61	8	per se	præ se.
62	14	zelotypiaque	zelotypia.
74	15	antiquitas	antiquitus.
95	20	Dyonisianam	Dyonisiana.
96	16	Sæculi VI	Sæculi IV.
101	22	XII..... XIII..	XI..... XII.
120	25	monumenti	momenti.
149	24	nullum non videant	nullum videant.
158	4	juris secus	juris non secus.
172	25	nostra	natura.
207	7, 9	quod..... illis commisisse.	
211	8	ordinariis	extraordinariis.
215	2	requiritur	acquiritur.
227	22	sub	ab.
239, 240		propositi... propositum....	præpositi...præpositum.
265	5	desinerat	desierat.
282	17	contrahi	contractum est.
390	17, 19	fundasset... divinas... quæ..	fundassent... diversas... quas.
314	21	adducti	addicti.
326, 340		capita	capitula.
331	7	visi sunt	visa sunt.

Reliqua menda quisque facile tollet.

Edward J. Conroy

Coll. Americano

Roma Italia

July 16th 1875